RHETORICÆ LIBRI DUO.

Quorum

Prior de Tropis & Figuris,
Posterior de Voce & Gestu præcipit:

In usum Scholarum postremò recogniti.

Autore

CAROLO BUTLERO,
Magd. Artium Magistro.

LONDINI,
Ex Officina *Guilielmi Bentley*, pro *Andrea Crook*, apud signum *viridis Draconis* in Cœmeterio S. *Pauli*. Anno Dom. 1655.

A. D. 1621. *VAgatur ſub nomine meo* Rhetorica, *unicæ vicis prætextu ſæpius furtim excuſa: quam quod, pro genuino autographi contextu, alium multis in locis* [*aut deficientem aut depravatum*] *diſcentibus obtrudat; (præterquam quòd mendis typographicis turpiter paſsim ſcateat) ut non meam, abrenuncio.*

C. B. M.

Viro virtutis & honoris nomine nobilissimo,
THOMÆ EGERTONO
Equiti, Dom. Custodi magni Sigilli Angliæ,
Carolus Butler Magdalenensis, *S.D.*

EA est bonarum Artium venustas & pulchritudo (illustrissime heros) ut liberalibus ingeniis nihil suavius, nihil amabilius videri possit: *quæ, si oculis cernerentur, mirabiles sui amores excitarent*. Ideóq; ut antiquitus viri docti suos semper habuerunt Mecænates & patronos; ità nunc etiam non desunt, qui, tanquam Dii Tutelares, eos non solùm ab inveterato tenebrionum livore vindicare; sed etiam dignis honorare præmiis inprimis studeant. Inter quos, quamvis non pauci reperiantur, qui de literis & literatis bene sunt meriti; tibi tamen præ cæteris primas & palmam unâ omnes voce facilè concedunt: qui à teneris etiam unguiculis, præsertim ex quo ad hoc tam excelsum honoris culmen tua te merita evexerunt: Omnes curas & cogitationes tuas ad rei literariæ pariter, & religionis propagationem eòusque intenderis, ut non tam amplissimo illo honoris loco honorari, quàm ipsum honorâsse, meritò dicaris. Sed non est animus spatiosum laudum tuarum campũ ingredi: tum quòd eas, licèt modestissimas, modestia tua non ferat; tum quòd omnibus jam sint satìs notæ; utpote qui non mediocres prudentiæ & benignitatis tuæ fructus jugiter percipiant. Pro tanta tua in omnes, præcipuè Academicos, bonitate, --- *grates persolvere dignas non opis est nostræ* --- nostram

ſtram verò gratitudinem, quam imo fixam pectore habemus, omni tibi officii genere probare cupimus. Communis noſtra parens *Academia*, cùm nihil haberet quo tibi magis gratificari poſſet; quem illius fidei credidiſti optimæ ſpei filium, eundem tibi, literarum & virtutum ornamentis haud vulgariter excultum, reddidit. Adeò ut non tam nomine & corporis effigie, quàm eximiis animi dotibus, patrem ità expreſſerit, ut in eo repubeſcere videris. At hunc, proh dolor! dum invicto noſtro Scipione (qui priùs cum alibi in equeſtrem ordinem meritiſſimè cooptaverat) in fatali illo bello Hibernico arma ferret; non ſine gravi, & amantiſſimi patris, & inclyti illius herois cui chariſſimus fuit, & communi omnium, quotquot eum noverunt, mœrore, præmaturâ morte abreptum audio. Quamvis quod ad eum attinet, terram cœlo, homines angelis, erumnas fœlicitate, deniq; ætatem breviſſimam æternitate commutavit: quod autem ad nos, ſupereſt adhuc alter, & diu ſuperſit precor, eâdē ſtirpe prognatus, eodem ingenio & indole præditus, iiſdem doctrinæ & morum præceptis imbutus, qui illi ſuccedat. Faxit bonorum omnium autor & perfector, ut præclara virtutum ſemina, quæ in tenero illius pectore pulchrè jā cernimus efflorescere, ad fraternam indies, adeóque paternam, excreſcant maturitatem. Jam verò ut, generoſis hiſce animis piè ac doctè informandis,

mandis, propensam in te voluntatem suam Mater nostra lubens indicavit, eandem tibi deinceps quâcunq; ratione præstitura; ità & ejus filii, quibus possunt indiciis, animos suos honoris tui studiosissimos testificari summè cupiunt. provectiores quidem, qui suam gravioribus studiis operam impenderunt, opera tibi graviora, in perpetuam & tui & sui nominis memoriam, indies exhibent. Ego verò, inter pueros puerelibus jã diu exercitatus, puerilia promo: sed tamen ità puerilia, ut adultos etiam perlegisse haud pœnituerit. Siquidem continet hic libellus Rhetorices artem, plenè, succinctè, & perspicuè explicatã. Quicquid vel veteres, vel recentiores hac de re uspiam scripserunt, id totum legitimâ methodo conformatum ac insignibus Poetarum & Oratorum exemplis illustratum, hic proponitur. Istud qualecunq; observantiæ meæ μνημόσυνον amplitudinis tuæ patrocinio (honoratissime Mecænas) consecro: ut cujus piâ & sincerâ munificentiâ, viri veræ sapientiæ præceptis passim sunt informati, ejusdem auspiciis, pueri etiam politioris disciplinæ rudimentis erudiantur. Deus te, pro immensa sua bonitate, Ecclesiæ, Reipub. Academiæ, & ingenuis ejus alumnis, quàm diutissimè servet incolumem: & pro bona semente, quam hîc apud nos facis, messem in cœlis apud Christum æternam largiatur.

Basingstochia, 5. Idus Martii. 2000.

PRÆFATIO.

INter celebres *Artium ſcriptores, quorum demereatur locum* Petrus Ramus, *eorum ſit judicium, qui, cùm eruditione, tum æquitate præſtantes, optimè dijudicare & poſſunt, & volunt: meâ ſanè ſententiâ, ſi vel in præceptis veritatem vel in methodo brevitatem, vel in exemplis perſpicuitatem, vel in omnibus uſum & utilitatem reſpicias*

—— tantum alios inter caput extulit omnes;
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Hujus ego nomine, hoc tibi (ingenue lector) opuſculum offero: quod ſiquid fructûs ac emolumenti afferat, id omne illi acceptum referes. Quippe qui ipſius materiam, latas perluſtrans probatiſſimorum autorum ſylvas, ſtudiosè exquiſivit; exquiſitam impigrâ ſuccidit manu; ſucciſam ad amuſſim dolavit, lævigavit, confirmavit. Quam ſic præparatam, ipſe, ſtructuris occupatus grandioribus, Audomaro Talæo *artifici certè non imperito in perfectum opus compingendam commendavit: qui quidem commiſſo ſibi munere, non invitâ (quod aiunt) Minervâ, perfunctus eſt. Quando tamen, quod in re tam difficili facile eſt, nonnulla peccentur; quædam ſint immiſſa propè inutilia, quædam etiam omiſſa planè neceſſaria; operæ pretium me facturum ſenſi, ſi ſupplerem quæ deſunt, amputarem quæ ſuperſunt, & paucula etiam indigeſta ſuis reſtituerem locis: ut pulchrum hoc præſtantis noſtri architecti ædificium, omnibus ſuis numeris abſolutum & completum, commode tuis uſibus inſerviret. Iſtud quidem, ſtudioſæ conſulens juventuti, manibus pedibuſque obnixe conatus ſum: quod ſi votis compos effectum dederim, habeo quod expetivi præmium; ſin optatum hunc finem ſedula mea induſtria minùs videatur aſſequuta, veniam voluntas promeretur. Sed nigrum, precor, parumper abſtine capculum: aſpice, inſpice, perſpice primò: cenſuram deinde ſperabo æquiorem. Et quam tandem? inquis: utcumque tua in hoc opere opella vituperio careat; non tamen ejuſmodi eſt, ut*

laudem

laudem aliquam mereatur. Nam difficilia que pulchra: *atqui* facile *est* inventis addere. *Esto: neque enim gravabor ista mihi (ut cui non meum encomium, sed tuum commodum hanc sua serit provinciam)*

Et dici potuisse, & non potuisse refelli.

Quamvis de nimia facilitate, ubi ipse in re simili periculum feceris, minus forsan constanter asseverabis.

Brevitati ubique Poetæ sequutus consilium [Quicquod præcipies esto brevis] *summopere studui: neque majori mihi fuit curæ, Rhetoricam nostram Rameam præ cæteris auctiorem; quàm præceptionum & exemplorum compendio tibi quàm brevissimam exhibere;*

——————————ut citò dicta

Percipiant animi dociles, teneántq; fideles.

Obscuritatem verò, individuam ferè brevitatis comitem, (juxta illud

—— Brevis esse laboro, Obscurus fio.——)

hîc prorsus sejungere eum dedi operam; ut, notarum adminiculo, aperta satis & expedita omnia ausim polliceri. Quamvis brevitati, vel obscuræ, prolixitatem posthabeat Rhetor, Invent. l. 1. ¶. 37. *ubi inquit,* Sæpe res parum est intellecta, longitudine magis, quam obscuritate narrationis.

Quæ teneris tyronum memoriis non ita necessariò erunt committenda, minusculis characteribus, distinctionis gratiâ, excudenda curavi; nè vel minimum in hoc stadio currentibus, offendiculum obstet, quod eos in via retardare queat.

Troporum explicationes tropis ipsis in contextu subnectendas non censui: partim ut pueris in discendo labor minueretur, partim nè, si eas unà memoriæ mandarent, aptè, verè, & expeditè, de iis rebus oscitantes respondерent, quas tamen minimè intelligerent. Rectiùs itaque post singula capita seorsim collocantur: unde discentibus petere licebit, quoties de iis hæsitaverint.

Capiti de Metro, nequid alibi quærere opus sit quod ad eum locum ritè spectat, compendiariem, de Metaplasmo, & Syllabarum Quantitate, aliisque ad Metrum pertinentibus, doctrinam inserui: idque eò libentius,

quòd

quòd Grammaticorum super hac re præcepta sint ferè confusa, prolixa, imperfecta.

Cætera, in quibus dicendi discipulis non inutilem navavi operam, non est quod præmoneam: tute inter legendum per te deprehendas.

Vive, vale. Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non; his utere mecum.

Tui studiosus

C. B. M.

Ἐις τὴν τοῦ Βουτλήρου ῥητορικήν.

Ῥητορικὴ τεχνῶν φύτο δεύτερος ἀρτιεπρῶν
Δεύτερος ὁ Βουτλὴρ ἔντριβε Ῥητορικῆ:
Δεύτερος, ἀλλὰ καὶ ὣς πάρος ἄλλων πρῶτα δέχεσθαι:
Δεύτερος, ἀλλὰ καὶ ὡς τὴν τρίτον οὐδὲν ἔχειν.

R. C.

RHE-

RHETORICÆ

Liber Primus,

DE ELOCUTIONE.

CAP. I.

RHetorica (1) eſt Ars ornatè dicendi. Partes Rhetoricæ duæ ſunt: Elocutio & Pronunciatio.

Elocutio eſt (2) interna exornatio orationis: áque per ſe (3) plurimùm poteſt.

Elocutio eſt (4) Tropus aut Figura.

Tropus eſt elocutio, quâ (5) verbum à nativa ſignificatione in aliam immutatur.

Communes ejus (6) affectiones ſunt quatuor. Nam ſi tropus durior fit & inæqualior, (7) Catachreſis dicitur; ſi clarior & audacior, (8) Hyperbole; ſi in unâ voce multiplex, (9) Metalepſis; ſi in pluribus continuatus, (10) Allegoria.

Hyperbole eſt (11) Auxeſis, aut Miоſis.

(12) In Allegoria tenendum eſt illud, ut quo ex genere rerum cœperis, eodem definas, ſecùs inconſequentia ſœpiſſimè fuerit.

Ad Cap. I.

(1) RHetorica hîc, non ut * alicubi, pro univerſa illa de quavis quæſtione orandi facultate, ſed pro ſola orationis exornatione ſumitur: quam, tertio de Oratore libro, Antonius Craſſo expendendam reliquit.

* *Vide cap. lib. Oratoria.*

(2) *Interna*: quæ verbis ipsis ac sententiis inhæret; sicut pronunciatio est orationis exornatio externa, quæ illi jam concinnatæ extrinsecùs advenit.

(3) *Plurimum potest*: Ut in Curione, qui, tametsi cæteris eloquentiæ laudibus maximè nudus esset, tamen Elocutionis splendore, & copiâ, & bonitatte quâdam expeditâ, & profluente celeritate, orator proximus optimis numeratus est, Brut. ¶. 88.

(4) *Tropus aut figura.* Quòd Tropus & Figura sint Elocutio, hoc est orationis exornatio, sic Quintilianus, lib. 1. cap. 8. *Enimvero jam majore curâ doceat Tropos omnes, quibus præcipuè non Poëma modo, sed etiam Oratio ornatur; & Schemata utraque, i. figuras, quæque λέξεως, quæque διανοίας vocantur, quorum ego, sicut Troporum, tractatum in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis dicendum erit.*

(5) *Vox.* tam comlexa, quam incomplexa. Singulæ & solæ dictiones crebriùs quidem tropos admittunt; nonnunquam vero & conjunctæ: ut in Metonymia, *suburbanum tuum gymnasium, florentis ætatis*: in Ironia, *nec dico, non utor*: in Metaphora, *sementem feceris, gratias agere*: in Synecdoche, *glacialem Oceanum, totum tribunal*, Hujusmodi voces complexæ in parœmiis frequentiores sunt, ut *laterem lavare*. i. frustrà laborare, quemadmodum facit qui laterem lavat. *Contra stimulum calcas*. i. repugnando tibi ipsi, non adversario, noces, ut facit qui contra stimulum calcat. *Lupum auribus teneo*. i. dubius sum utrùm incœptum peragam, an eo desistam, veluti qui lupum auribus tenet. *Lupi illum videre priores*. i. obmutuit, sic ut quem lupi prius intuentur. *Delphicus gladius*. i. res diversis usibus idonea, qualis fuit gladius Delphicus, qui ad eum modum erat fabrefactus, ut eodem simul & sacras mactarent victimas, & nocentes afficerent supplicio. *Ex tripode dictum*. i. verum: quale putabatur, quicquid ex Tripode dictum fuit, &c. Quæ singula exempla singulos tropos habent, non autem in singulis, ut vides vocibus, sed conjunctis. Itaque sic definit Quintilianus,

lib.

lib. 8. cap. 6. *Tropus eſt verbi, vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio.* Quanquam Talæus alibi, dum quod verum eſt ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἀπλῶς enunciat, ſecus ſentire videatur.

(6) *Affectiones.*

Generalis tropi affectio eſt
- unius
  - inæqualis, Catachreſis.
  - audacioris, Hyperbole.
- plurium
  - in uno verbo, Metalepſis.
  - in verbis pluribus, Allegoria.

(7) *Catachr.* Catachreſis eſt durior & injucundior verbi immutatio, cùm ſcilicet nomen aliquod pro alio ponitur, in cujus locum non deductum eſſe ſed irruiſſe, non precariò, ſed vi veniſſe, videatur.

(8) *Hyperb.* Hyperbole eſt ementiens ſuperjectio, ſive audacior tropi ſuperlatio: quæ quamvis ſit ultra fidem, non tamen eſſe debet ultra modum: monere ſatis eſt mentiri Hyperbolen, nec ità ut mendacio fallere velit. Sed tum eſt Hyperbole virtus, cùm res ipſa, de qua loquendum eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum eſt non poteſt. Hæc Quintilianus, l. 8. c. 6.

(9) *Metalep.* Metalepſis eſt tropi in uno verbo multiplicatio: quando nempe ex improprio ſignificatur primò improprium, tum ex improprio illo forte aliud improprium, atque ita deinceps, donec ad proprium veniatur, intercedente medio gradu tranſitum præbente, Quintilianus, l. 8. c. 6. Eſt hæc in Metalepſi natura, ut inter id quod trãsfertur ſit medius quidam gradus, nihil ipſe ſignificans, ſed præbens tranſitum.

(10) *Alleg.* Allegoria eſt tropi continuatio, ubi nimirum ejuſdem generis tropi plures conjunguntur. Allegoriæ autem præcipua laus eſt, quæ una aures noſtras mirificè capit: Ut enim troporum ſingulorum ornatus magnus eſt; ità continuatorum & conjunctorum multò maximus.

(2) *Interna*: quæ verbis ipsis ac sententiis inhæret; sicut pronunciatio est orationis exornatio externa, quæ illi jam concinnatæ extrinsecùs advenit.

(a) *Plurimum potest*: Ut in Curione, qui, tametsi cæteris eloquentiæ laudibus maximè nudus esset, tamen Elocutionis splendore, & copiâ, & bonitatte quâdam expeditâ, & profluente celeritate, orator proximus optimis numeratus est, Brut. ¶. 88.

(4) *Tropus aut figura.* Quòd Tropus & Figura sint Elocutio, hoc est orationis exornatio, sic Quintilianus, lib. 1. cap. 8. *Enimvero jam majore curâ doceat Tropos omnes, quibus præcipuè non Poëma modo, sed etiam Oratio ornatur; & Schemata utraque, i. figuras, quæque λέξεως, quæque διανοίας vocantur, quorum ego, sicut Troporum, tractatum in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis dicendum erit.*

(5) *Vox.* tam comlexa, quam incomplexa. Singulæ & solæ dictiones crebriùs quidem tropos admittunt; nonnunquam vero & conjunctæ: ut in Metonymia, *suburbanum tuum gymnasium, florentis ætatis*: in Ironia, *nec dico, non utor*: in Metaphora, *sementem feceris, gratias agere*: in Synecdoche, *glacialem Oceanum, totum tribunal*, Hujusmodi voces complexæ in parœmiis frequentiores sunt, ut *laterem lavare*. i. frustrà laborare, quemadmodum facit qui laterem lavat. *Contra stimulum calcas*. i. repugnando tibi ipsi, non adversario, noces, ut facit qui contra stimulum calcat. *Lupum auribus teneo*. i. dubius sum utrùm incœptum peragam, an eo desistam, veluti qui lupum auribus tenet. *Lupi illum videre priores*. i. obmutuit, sic ut quem lupi prius intuentur. *Delphicus gladius*. i. res diversis usibus idonea, qualis fuit gladius Delphicus, qui ad eum modum erat fabrefactus, ut eodem simul & sacras mactarent victimas, & nocentes afficerent supplicio. *Ex tripode dictum*. i. verum: quale putabatur, quicquid ex Tripode dictum fuit, &c. Quæ singula exempla singulos tropos habent, non autem in singulis, ut vides vocibus, sed conjunctis. Itaque sic definit Quintilianus,

lib.

lib. 8. cap. 6. *Tropus eſt verbi, vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio.* Quanquam Talæus alibi, dum quod verum eſt ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἀεὶ enunciat, ſecus ſentire videatur.

(6) *Affectiones.*

Generalis tropi affectio eſt
- unius
  - inæqualis, Catachreſis.
  - audacioris, Hyperbole.
- plurium
  - in uno verbo, Metalepſis.
  - in verbis pluribus, Allegoria.

(7) *Catachr.* Catachreſis eſt durior & injucundior verbi immutatio, cùm ſcilicet nomen aliquod pro alio ponitur, in cujus locum non deductum eſſe ſed irruiſſe, non precariò, ſed vi veniſſe, videatur.

(8) *Hyperb.* Hyperbole eſt ementiens ſuperjecto, ſive audacior tropi ſuperlatio: quæ quamvis ſit ultra fidem, non tamen eſſe debet ultra modum: monere ſatis eſt mentiri Hyperbolen, nec ità ut mendacio fallere velit. Sed tum eſt Hyperbole virtus, cùm res ipſa, de qua loquendum eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum eſt non poteſt. Hæc Quintilianus, l. 8. c. 6.

(9) *Metalep.* Metalepſis eſt tropi in uno verbo multiplicatio: quando nempe ex improprio ſignificatur primò improprium, tum ex improprio illo forte aliud improprium, atque ita deinceps, donec ad proprium veniatur, intercedente medio gradu tranſitum præbente, Quintilianus, l. 8. c. 6. Eſt hæc in Metalepſi natura, ut inter id quod trãsfertur ſit medius quidam gradus, nihil ipſe ſignificans, ſed præbens tranſitum.

(10) *Alleg.* Allegoria eſt tropi continuatio, ubi nimirum ejuſdem generis tropi plures conjunguntur. Allegoriæ autem præcipua laus eſt, quæ una aures noſtras mirificè capit: Ut enim troporum ſingulorum ornatus magnus eſt; ità continuatorum & conjunctorum multò maximus.

(11) *Auxesis aut Mio.* Auxesis est, cùm augendi aliquid & amplificandi gratiâ, verbum gravius proprii loco substituimus: ut cùm *liberalem, magnificum; severum, sævum; improbum, sacrilegum* dicimus. Miosis seu Tapinosis est, cùm minuendi & extenuandi causâ leviori utimur vocabulo, quàm res postulat: ut cùm *adulatorem, blandum* & *affabilem; prodigum* aut *audacem, liberalem* aut *fortem* nuncupamus.

Quæ defectum auget Hyperbole, Miosis est: ut cùm *homunculum, Pygmæum*; *stupidum, stipitem*; *qui non respondet, mutum* appellamus, Quintilianus l. 8. c. 6. Hyperbole vulgò in usu est, & inter eruditos, & apud rusticos: videlicet, quia naturâ est omnibus augendi res vel minuendi cupiditas insita, nec quisquam vero contentus est.

(12) *In Alleg.* Sic docet lib. 8. cap. 6. Quintilianus.

CAP. II.

TRopi (1) genera sunt Metonymia & Ironia, Metaphora & Synecdoche.

Metonymia, sive transnominatio, est tropus (2) Causæ ad Effectum; Subjecti ad Adjunctum, vel (3) contrà.

Metonymia causæ est efficientis, aut materiæ.

Efficientis, ut cùm inventor & autor pro ipsis effectis rebus usurpantur. Pro Marc. *Quos amisimus cives, eos* (4) *Martis vis perculit, non ira victoriæ.* Georg. 1.

Aut dulcis musti (5) *Vulcano decoquit humorem.*

Sic (6) *Oceanus* & *Tethys, Nereus*, & *Doris Neptunus*, & *Amphitrite, Pontus* etiam Meta

lepticôs

lepricôs, pro *mari*. (7) *Liber* & *Ceres* pro vino & pane in prosa Catachresin habent. Lucani libro 4. Catachresis est usitatior.

(8) *Urebant montana nives, camposque jacentes. Non duraturæ conspecto sole pruinæ.* Metalepsis est pro Amet. *Accusant ii qui in* (9) *Fortunas hujus invaserunt.* & Æn. 4.

Quin morere, ut meritaes, (10) *ferróque averte dolorem.* Allegoria, Eun. Ter. *Sine* (11) *Cerere &* (12) *Libero friget* (13) *Venus.* Est præterea hîc valde usitatum, imò (quia verbum deest) necessarium, scriptores pro scriptis operibus appellare. Mart. lib. 14.

Pellibus exiguis arctatur (14) *Livius ingens:*
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Metonymia Materiæ est, cùm nomen materiæ pro effecto ponitur, Ver. 6. *Cùm essent triclinia strata*, (15) *argentúmque expositum in ædibus.*

Metalepsis est Metam. 1.

——— *& structis cantat* (16) *avenis.*

Item; Æn. 8. *Labitur uncta vadis* (17) *abies.* (18) *Abies* tamen pro *tabellis* in prosa Catachrésis est, Allegoria hîc quædam est. Horat. Epist. 2, lib. 1.

Non domus & fundus, non (19) *æris acervus & auri,*
Ægroto domini deduxit corpore febres. 2. Leg. (20) *Æs & ferrum duelli insignia sunt, non fani.*

Ad Cap. 2.

(1) *Genera.* Vox *genus* ſæpiſſime ponitur pro ſpecie intermedia (quæ ſcilicet alias etiam ſpecies ſubjectas habet, quarum reſpectu genus eſſe poſſit) non ſolùm apud Ciceronem & Latinos omnes, ſed & apud Ariſtotelem ipſum, ut capite de Qualitate, ubi ſecundum, tertium, & quartum genus appellat qualitatis. (2) *Cauſæ.* Cùm cauſa ponitur pro Effecto. De cauſa & Effecto, cæteriſque argumentis, per quæ Troni fiunt, vide Oratoriæ l. 2. c. 2. (3) *Contra.* i. Effecti ad Cauſam, Adjuncti ad ſubjectum, (4) *Martis.* prælii: Mars enim armorum bellorúmque inventor primus putatur veteribus, Diodorus Siculus lib. 6. Sic Martialis in Amphitheatrum Cæſaris, Epigr. 24.

Ne te decipiat ratibus navalis Enyo.

i. navale prælium ſeu naumachia: nam Bellona Martis ſoror belli habetur & præliorum dea. (5) *Vulcano.* igne. Vulcanus ignis inventor hoc modo fuiſſe fertur à Diodoro: Cùm videret lapſo fulmine ſylvam ardere, materiam uberiorem adhibuit, igniſque uſum præcipuè in metallis fabricandis mortalibus oſtendit: itaque hic pro igne ponitur, ut etiam infrà, *Nec ſe Vulc.* &c. (6) *Oceanus.* Oceanus Cœli ac Veſtæ filius, antiquiſſimus maris deus, conjugem habuit ſororem Tethyn: Nereus filius Oceani & Tethyos uxorem ſibi adjunxit ſororem Dorin: Neptuno Saturni & Opis filio, cui in orbis diviſione regnum maris contigit, nupſit Amphitrite Nerei & Doridis filia: Pontus Nerei filius fuit, frater Amphitrites, unde iſti dii deæq; pro mari uſurpantur.

Oceanus, Æneid. 1.

Cum Oceano, famam qui terminet aſtris.

Imperium Oceani. lib. 6.

Tethyos cùm Tethys Rutupináque littora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

Nereus, Metam. 1.

Hunc mihi qua totum Nereus circumſonat Orbem,

Per-

Perdendum eſt mortale genus. ——
Doris, Eclog. 10.
Doris amara ſuam non intermiſceat undam.
Neptunus, Horat. Epiſt. 11. lib. 1.
Neptunum procul è terra ſpectare furentem.
Amphitrite, Metam lib. 1.
—— *Nec brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Pontus autem non niſi per Metalepſin ponitur pro integro mari: primò enim transfertur ad illud mare ſignificandum, quod à palude Mæotide uſque in Tenedum inſulam maris Ægei protenditur, ut Lucanus. lib. 5.
Arctatus rapido fervet quà gurgite Pontus. Et Georg. 1.
Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.
Unde etiam regio adjacens nomen ſuum ſortita eſt, ut loco infrà citato, *Plurima ſed pelago*, &c. Deinde per Synechdochen membri pro univerſo mari uſurpatur: ut in Ibin,
Nec ſe Vulcanus, nec ſe tibi præbeat aer;
Nec tibi det tellus, nec tibi Pontus iter.
(7) *Liber. Vulcanum* pro *igne* vulgò audivimus: *& vario Marte pugnatum*, eruditus eſt ſermo: & *Venerem* quam *coitum* dixiſſe magis decet: at *Liberum* & *Cererem* pro vino & pane licentiùs quàm ut fori ſeveritas ferat, ait Quintilianus. lib. 8. c. 6. (8) *Urebant* Urere hìc Catachreſticôs dicuntur nives & pruinæ, pro exſiccare & abſumere, quæ uſtionis ſunt effecta. Nives enim & pruinæ naturalem rerum ſuccum nimio ſuo frigore, ut ſol & ignis nimio calore, exhauriunt: atque ita res ipſas abſumunt & corrumpunt. Sic apud Ovidium, Triſt. 3. Eleg. 2.
Plurima ſed pelago, terráque pericula paſſum,
Uſtus ab aſſiduo frigore Pontus habet.
(9) *Fertur as.* opes, Metalepſis: Duplex enim hic eſt tropus: Fortunæ pro Fortuna, Synechdoche eſt numeri; & Fortuna pro bonis & donis Fortunæ, Metonymia eſt cauſæ efficientis. (10) *Ferróque*, morte,

Metalepsis: Nam ferrum pro gladio, aut ferreo aliquo telo, Metonymia est materiæ; & gladius pro morte, cujus est instrumentalis causa, Metonymia efficientis est. (11) *Cerere.* Sine pane & vino friget amor; Allegoria: continuatur enim Metonymia. Ceres prima dicitur usum frumenti hominibus dovisse, molere, & panem conficere, cùm antea glandibus vescerentur, Diodorus. 6. Plin. 7. (12) *Libero.* Diodorus, l. 4. ait; Bacchum vini ex uva expimendi rationem primùm tradidisse: quod ipsum nos anticuioribus literis persuasi tribuimus Noæ ho. (13) *Venus.* Veneri maturæ virginum ætatis, aliarúmque rerum quæ circa nuptiarum sacra & fœdera celebrantur, curam dedisse Jovem scribit lib. 6. cap. 15. Diodorus: unde Poetæ illam cùm amoris, tum pulchritudinis, gratiæ, & deliciarum deam faciunt: ideoque pro his etiam interdum ponitur, Catullus de Quintia & Lesbia,

Lesbia formosa est, quæ cùm pulcherrima tota est,
Omnibus una omnes surripuit veneres.

i. gratiam, venustatem, delicias (14) *Livius.* Historia de rebus Romanis 140 libris à Livio conscripta.

(15) *Argentum.* Supellex, cujus materia fuit argentum. (16) *Avenis.* Fistula arundinea, Metalepsis: Avenæ pro culmo avenaceo, Synec. integri, culmus avenaceus pro culmo in genere, Synec. speciei, culmus pro arundine, Synec. est contrarii generis pro specie, (fistula enim, quâ hic cecinit Mercurius, ex arundine fiebat, in quam Nympha Syrinx est mutata) postremò arundo pro ipsa fistula, Metonymia est materiæ pro effecto. (17) *Abies.* Metalepsis: abies pro tabellis abigenis, Metonymia est materiæ, & tabellæ pro navi; eadem est *Metonymia.* (18) *Abies.* Catachresis; Sic enim lib. 8. cap. 6. Quintilianus, *Prosa non puppim pro navi, nec abietem pro tabellis recipiet.* (19) *Æris & auri.* nummi ænei, & aurei, Allegoria. (20.) *Æs & ferrum.* arma ex ære, & ferro conflata, Allegoria; conjunguntur enim hic duæ Metonymiæ *æs* & *ferrum*, ut suprà *æri* & *auri.*

CAP.

CAP. III.

METonymia Effecti est, cùm ex effectis efficiens significatur. Trist. lib. 1. Eleg. 1.
(1) *Carminibus metus omnis abest : ego perditus ensem*
Hæsurum jugulo jam puto jámque meo.
Ib, *Quas meruit pœnas jam dedit illud* (2) *opus.*
Æneid. 6. *Scipiadas* (3) *cladem Lybiæ* ——
Ter. Eun. *Ego pol te pro istis dictis & factis,* (4) *scelus, ulciscar.*
Est & Metonymia ista in epitheris. Pro Marc. *Victoria naturâ* (5) *insolens est & superba.* Ibid. *Victoriæ* (6) *ferocitatem extimescere.* Ubi Metalepsis est, ut etiam Æneid. 1.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit (7) *atris.*
Allegoria quædam hîc est, Æneid. 6.
(8) *Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus.*
(9) Sic Orator *præcipitem iram, hilarem adolescentiam, segne otium* dixit. Imò verò hinc & Poetarum & Oratorum plurima epitheta sunt.

Ad Cap. 3.

(1) *Carminibus.* Poetis carmina componentibus. (2) *Opus.* Ovidius illius operis autor. (3) *Cladem.* cladis effectores, qui cladem Lybiæ intulerun (4) *Scelus.* sceleste scelerum machinator, Auxesis : hinc enim graviùs & asperiùs hominem perstringit quàm si Sceleratum nuncupasset. Similis est Hyperbole in Metonymia adjuncti. Hanc etiam *Metonymiam* habet Ulysses in illa pro spoliis Achillis oratione, *Metam.* 13.
Si me cum vestris valuissent vota, Pelasgi,
Non foret ambigum tanti certaminis hæres.

i. armorum propter quæ certamen erit, & Vates ad Aristæum, amissis apibus, Georg. 4. *Magna lues commissa*. i. magnum scelus luis causa. (5) *Insolens*. i. insolentes & superbos faciens: tales enim victores reddit. (6) *Ferocitatem*. Metalepsis: victoriæ ferocitatem, pro ferocem victoriam, modus est quartus; & ferocem victoriam, quæ faciet victorem ferocem, secundus modus est. (7) *Atris*, profundis, Metalepsis: atris pro tenebrosis Metaphora est usitata: tenebrosis pro profundis Metonymia est effecti: profunditas enim in speluncis tenebrarum est causa. (8) *Pallentes*. Pallentes dicuntur morbi, tristisque senectus, quod ill pallentes, hæc tristes facit: ubi Metonymiæ in *pallente* & *tristis* continuatio facit Allegoriam. (9) *Sic Orat.* Ut ait lib. 8. cap. 6. Quintilianus.

CAP. IV.

METonymia Subjecti est cùm nomen proprium rei subjectæ ad significandam rem adjunctam traducitur. Heroid. 16,

Non tu plus cernis, sed plus temerarius audes:
Nec tibi plus (1) *cordis, sed minus* (2) *oris inest.*

Catachresis est Epod. Ode. 12.

Polypus, an gravis hirsutis cubet (3) *hircus in alis*

Sic ponitur continens pro re contenta. Æne. 1.

——— Ille impiger hausit
Spumantem (4) *pateram, & pleno se proluit auro* (5).

Serm. 2. Saty. 3.

Danda est ellebori multò pars maxima avaris:
Nescio an (6) *Anticirâ ratio illis destinet omnem.*

Est verò Metonymia hæc longè frequentissima, cùm locus pro ipsis incolis usurpatur, Met. l. 1. *Neve*

Neve foret (7) *terris securior arduus* (8) *æther.* in Pis. *Quòd in me* (9) *carcerem effudistis*, Hyperbole est. Metalepsis reparitur, Æneid. 2. *Invadunt* (10) *urbem somno vinóque sepultam.* Et Metam. 13.

(11) *Pergama tum vici, cùm vinci posse coëgi.* Allegoria " pro Pompeio. *Testis est* (12) *Italia, quam ille ipse Victor L. Sylla hujus virtute & consilio, confessus est fuisse liberatam: testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli sed celeritate consilii explicavit: testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguini redundavit: testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est: testis est Hispania, quæ sæpissimè plurimos hostes ab hoc superatos prostratósque conspexit.*

+ Sive pro lege Manilia.

(13) Aliter etiam locus ad res locatas traducitur. 1. de Orat. *Age verò ne semper* (14) *forum, subsellia, rostra, curiámque mediteris:* quæ Allegoria est, ut rursus ibidem, *longè* (15) *Academiæ illi ac Lycæo tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam.*

Ex hoc genere etiam est illud, cùm ex possessore possessa res intelligitur, Æneid. 2.

——— *Jam proximus ardet*

16 Ucalegon ——— Ad Attic. Epist. 5. *Ego cùm tuâ tuo cum Pompeio, &* (17) *apud Pompeium*

pcium fuiſſem. Et *malo tecum* (18) *apud te ambulare.* Cic. de Senect. *Cujus villam ego contemplans (non enim longè abeſt* (19) *à me.)* Sic dicimus hominem devorari, cujus patrimonium devoratur. Heaut. Act. 3. Sc. 1. *Quid te futurum cenſes,* 20) *quem aſſiduè exedent?* Sic (21) *ab Annibale cæſa apud Cannas ſexaginta millia Romanorum* dicimus. Sic litigantium clientum advocati perſonas ſuas pro clientum perſonis uſurpant: pro Cæcinn. (22) *Reſtituiſſe te dixti: nego me edicto Prætoris reſtitutum eſſe.* Sic res quælibet pro adjuncto Temporis, Georg. 1.

Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ, bis qua (23) *ſolem, bis* (24) *frigora ſenſit.*

Sic etiam nomen rei ſignificatæ tribuitur ſigno, Faſt. 1.

(25) *Jupiter angusta vix tectus ſtabat in æde:*
Inq; Jovis dextra fictile fulmen erat. Vir. Ec. 3.
26 *Orphcáq; in medio poſuit, ſylvaſq; ſequentes.*

Ad Cap. 4.

1 CCordis prudentiæ, quæ in corde ſedem habet, unde prudentes Cordati dicuntur. Sic Mart. l. b. 2. Ep. 8.

Quod ſi non illum, ſed me peccaſſe putabis;
Tunc ego te credam cordis habere nihil.

oris. pudoris, qui ſe ore, i. vultu prodit. 3. *Hirci* hircinus fœtor, Catachreſis: quam eandem habet Catullus in Rufum,

Lædit te quædam mala fabula, quia tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.

(4)*Pateram* (5) *Auro.* hîc per ſpumantem pateram & plenum aurum intelligis omne illud vinum quo vaſa iſta impleta ſunt : ſed in *auro* eſt Metalepſis : nam aurum pro aureo cratere Metonymia eſt Materiæ, (6) *Anticyram omnem.* totius inſulæ elleborum : ac ſi maximè inſanirent avari, ideóque hâc herbâ, quâ cerebrum adversùs inſaniam purgatur, maximè indigerent. (7)*Terris.* hominibus terræ incolis. (8) *Æthere* cœlites, qui tenent æthera. (9)*Carcerem.* qui in vinculis & carcere erant, vel digni carcere, Hyperbole : graviùs enim & turpiùs ſonat odioſum nomen Carceris, quàm ſi Incarceratos aut Maleficos dixiſſet. (10) *Urbem.* Trojanos ſomno vinóque ſepultos, Metalep. urbem pro Troja, Synecdoche eſt generis, & Troia pro Trojanis, Metonymia eſt ſubjecti. (11) *Pergama.* Trajanos, Metalep. Pergama, i. arces Trojæ pro ipſa Troja, Synecdoche eſt membri, & Troja pro Trojanis, Metonymia eſt ſubjecti : quæ Metalepſis ſequitur lib. 14.

——*Danaas paveruut Pergama flammas.*

)12)*Italia.* hic Cicero *Italiam, Siciliam, Africam, Galliam, Hiſpaniam* poſuit pro Italis, Siculis, Africanis, Gallis, Hiſpanis, (13)*Aliter.* nempe cùm nomine loci ſignificatur non ipſum locatum, ſed locati adjuncta aut effecta. (14) *Forum.* Actiones Rhetoricas in foro, in ſubſelliis, in roſtris, in curia, Allegoria. (15) *Academiæ.* per *Academiam, Lycium, Tuſculanum, ſuburbanum illud Gymnaſium* intelligimus doctrinam celebratam in Academia à Platone, in Lycio ab Ariſtotele, in Tuſculano à Cicerone, Allegoria. (16.)*Ucale.* Ucalegonis domus. (17) *Apud Pomp.* in ædibus Pompeii. (18 *Apud te.* domi tuæ (19) *A me* à villa mea. (20) *Quem* cujus opes aſſiduis comeſſationibus, exhaurient. (21) *Annibale.* Quia ab exercitu cujus dux erat Annibal cæſa ſunt. (22)*Reſtituiſſe.* Sic Cicero Piſonem advocatum partis adverſæ alloquitur, tanquã Ebutio id diceret Cæcinna. (23)(24) Per *bis ſolem, bis frigora*, intelligit Poeta æſtatem ac hyemem in binis

annis

annis: æſtatem ſc. ac hyemem anni in quo ſeritur, qui deſinit calendis Januarii; & hyemem ac æſtatem anni in quo metitur, qui calendis iiſdem incipit. Sed eſt in *ſolem* Metalepſis: nam *ſol* pro calore, quem efficit, Metonymia eſt cauſæ; & *calor* pro æſtate, ſicut mox *frigora* pro hyeme, Metonymia hæc eſt. Vide (11) in Metonymia adjuncti. (25) *Jupiter.*, Jovis ſtatua. (26) *Orphea.* cælatas Orpheos & ſylvarum imagines.

CAP. V.

METonymia Adjuncti eſt, cùm ex adjunctis res ſubjectæ ſignificantur, Eclog. 8. *Necte tribus nodis* (1) *ternos Amarylli colores.* Sic nomina virtutum ipſarum pro bonis viris, & vitiorum pro malis, & multarum aliarum rerum, pro perſonis quibus adjunctæ ſunt, uſurpantur, Catil. 2. *Ex hac enim parte* (2) *pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo; denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum inquitate, cum luxuriâ, cum ignaviâ, cum temeritate, cum vitiis omnibus:* quæ perillustris eſt Allegoria.

Ex hoc genere ſunt illa Ciceronis Hyperbolica, *O* (3) *peſtis! O labes! O audaciam incredibilem!* & ſimilia. Hyperbole autem hic elatior exſiſtit, cum virtutibus, vitiis, aliiſque qualitatibus præcellentes, ipſarum qualitatum nominibus celebramus, aut etiam ſupra ipſas au-

& daciùs

dacùs efferimus: ut cùm *Aristidem non justum, sed justitiam, adeoque* (4) *ipsâ justitiâ justiorem* prædicamus. Metalepsin verò gradibus suis auctiorem habet Silius lib. 4.

Advolat aurato præfulgens (5) *murice ductor*

Et Eneid. 1. Virgilius.

——— *stratoque super discumbitur* (6) *ostro.*

Sic adjunctum temporis pro subjectis. Æneid. 1.

Aspera tum positis mitescent (7) *secula bellis.*

De Senect. *Temeritas est videlicet* (8) *florentis ætatis, prudentia* (9) *senectutis.* Catachresis est Æneid. 4.

——— *oculisve aut pectore* (10) *noctem*

Accipit ——— Metalepsis est Eclog. 7.

(11) *Solstitium pecori defendite, jam venit æstus.*

Sic signum pro re significata ponitur pro Mil. *Cui omnem Italiæ* (12) *pubem.* Georg. 2.

Illũ non populi (13) *fasces, non* (14) *purpura regũ*

Flexit ——— Trist. lib. 1. Eleg. 2.

Neve precor magni (15) *subscribite Cæsaris iræ.*

Locus ille in Pisonem insignem quæstionem ex intelligentiâ Metonymiæ hujus exprimit. *Veruntamen quoniam te non* (16) *Aristarchum, sed* (17) *Phalarin Grammaticum habemus, qui non notam opponas ad malum versum, sed Poetam armis persequare; scire cupio quid tandem isto in versu reprehendas.* Cedant (18) arma togæ ——— *ruæ dicis* (inquit) *togæ summum Imperatorem esse cessurum. Quid nunc te, asine literas*

docceam?

doceam? Non opus est verbis, sed fustibus: non dixi hanc togam quâ sum amictus; nec arma, scutum & gladium hujus Imperatoris: sed quòd pacis est insigne & otii toga, contrà autem arma, tumultûs atq; belli, more Poetarum locutus hoc intelligi volui, bellum ac tumultum paci atque otio concessurum. Pro Marc. uterque tropus propriis verbis adjungitur, *Sempérque mea consilia pacis & togæ socia, non belli atque armorum fuerunt.*

Est etiam hæc Metonymia in Epithetis.

Æneid. I. 19 —— *Mortalia temnitis arma.*

Et Theb. 8. 20 —— *Armato turbavit fumere manes.*

Ad Cap. 5.

(1) *Ternos colores.* terna licia, triplici diversa colore, ut paulò antè à Poëta dicitur. (2) *Pudor.* pudor hîc pro verecundis, petulantia pro petulantibus, pudicitia pro pudicis, stuprum pro mœchis &c. virtutes denique omnes pro probis, & vitia pro improbis ponuntur, Allegoria. (3) *O pestis!* O pestiferos cives! O nequitiæ labe aspersos! O incredibiliter audaces! Hyperbole. (4) *Ipsâ justitiâ.* Sic ipsâ nequitiâ nequior, cæcitate cæcior, deformitate deformior, ipsâ siti siticulosior, & similia. Vide 15. in notis ad cap. nonum. (5) *Murice.* veste purpureâ ostro tinctâ. Metalepsis, murex pro ostro muricis succo: Synecdoche est integri, ostrum pro purpureo ostri colore. Metonymia subjecti, & purpureus color pro purpurei coloris amictu, Metonymia est adjuncti pro subjecto. (6) *Ostro.* ostrum per similem Metalepsin significat hîc purpureum torum. (7) *Secula.* qui seculis illis vixerunt. (8) *Florentis ætatis.* juvenum. (9) *Senectutis.* senum. Sic Met. 1.

Gen-

Contigerat noſtras infamia temporis aures.

& pro Mar. *Nulla unquam ætas de laudibus tuis conticeſcet.* (10) *Nocem.* pro somno qui nocte capitur: Catachreſis, ut cùm cont à *ſomnus* pro nocte capitur. Vide in notis ad Synecdoch. (11) *Solſtitium* æſtum, Metalep. Solſtitium pro æſtate, in cujus initio ſit, Metonymia e ſubjecti (qualis eſt Georg. 1.

Humida ſolſtitia, atque hyemes orate ſerenas.)

Et æſtas pro ætatis æstu Metonymia hæc eſt. (12) *Pubem.* juventutem, cujus ætatis pubes primò creſcens eſt indicium. (13) *Faſces.* (14) *Purpura.* faſces & purpura inſignia ſunt autoritatis & imperii, quæ duo hic per faſces & purpuram ſignificantur; ſed in purpura eſt Metalepſis, qualis ſuprà in murice: purpura enim primò ſignificat piſcem qui murex dicitur: ſed hic Metalepſis eſt uno gradu auctior, nam poſtremò purpurei coloris amictus pro regia autoritate per hanc Metonymiam adjuncti ponitur. (15) *Subſcribite.* aſſentimini: ſubſcriptio enim aſſentionis & approbationis eſt ſignum. *(16) Ariſtarchum.* Ariſtarchus Grammaticus fuit Alexandrinus, qui Homero longè inferior, ejus tamen poemata petulanter vellicare, quæque illius inſcitiæ minùs probarentur, iis, ut malis, notas apponere non verebatur; de quo Ovidius Pont. lib. 3. Eleg. 11.

Corrigere at res eſt tantò magis ardua, quantò
Magnus Ariſtarcho major Homerus erat.

(17) *Phalarin.* Phalaris erudeliſſimus erat Agrigentinorum tyrannus, qui inter cætera ſuppliciorum inſtrumenta taurum habuit æneum, in quem igne ſubjecto ardentem damnati immiſſi, mugitum, bovis inſtar, edebant; cujus rei ſpecimen artifex ipſe Perillus, muneris loco, primus præbuit: Tandem etiam ipſe tyrannus, cùm diutiùs illius immanitas ſuſtineri non poſſet, quo alios exuſſerat tauro incluſus, vivus crematus eſt. (18) *Arma.* Hunc tropum in ſequentibus Ora or ipſe explicat. (19) *Mortalia.* hominum mortalium. (20) *Armato* militum armatorum, qui cum armis

mis & equis, dissiliente humo; absorpti sunt. Sic apud eundem Statium ibidem,

At non semianimi clamore Menœcea lapsus
Fallit Atys ——— & ibidem.
Fassa pios gemitus lachrymisque in vulnera fudit.

Item Heroid. 2.

Castáque fallaci zona recincta manu. ibid.
Colla quoque infidis quæ se nectenda lacertis.

& Carm. l. 1, Od. 3.

Iracunda Jovem ponere fulmina.

i. viri semianimis, virginis piæ, mei castæ, tui fallacis ac infidi, ipsius Jovis iracundi. Hæc Metonymia poetis frequens est, nec inelegans: quoties nimirum epitheton, sive adjunctum in concreto (ut loquuntur Logici) subjecto, quod significat proprium rei alicui ad subjectum pertinenti accommodatur, ut hîc *Mortalis* quod est epitheton hominis, tribuitur armis hominum: *armatus* epitheton militum, militum funeri: *semianimis* epith. Atys quem Ætolus propè interfecerat, ipsius clamori: *Pius* epith. Ilmenes, ejus gemitui: *castus* epith. Phyllidos, illius Zonæ: *fallax* & *infidus* epith. Demophoontis, illius manui, & lacertis: & *iracundus* epith. Jovis, Jovis fulminibus.

CAP. VI.

IRonia sive Simulatio est tropus ab (1) oppositio ad oppositum.

Valet hic tropus cùm ad cætera omnia, tum imprimis ad jocandum; in eóq; genere Socratem Cicero autor est 2. Orat. lepore & humanitate cæteris præstitisse: unde & ipse εἴρων appellatus est, quòd se imperitum fingeret, admirator aliorum tanquam sapientum.

(2) Percipitur autem Ironia vel pronunciatione, vel personâ, vel rei naturâ: nam si-

qua

qua earum diſſentit à verbis, apparet mentem etiam iiſdem diſſentire. Oppoſita ſunt(3) diſparata & (4) contarria.

Ironia à Diſparato eſt, quando de perſonâ aliâ quidpiam dicitur, de aliâ intelligitur: Sive affirmatum de utraque, ut Eclog. 3.

Tum credo, cùm (5) *me arbuſtum videre Myconis, Atque mala vites incidere falce novellas.*

Sive negatum de altera, ut Metam. lib. 13.

——(6) *nec in his quiſquam damnatus & exul.*

Senec. Herc. fur Act. 2.

(7) *At non per omnes exul erravit plagas.*

(8) Ironia à Contrario eſt, quando ex contrario contrarium ſignificatur. Ter. Andr. Act. 5. *O ſalve* (9) *bone vir, curâſti probé.* 2. de Orat. *Craſſus pro Aculeone cum diceret. aderat contra Aculeonem Lamia deformis: qui cùm interpellaret odioſè, Audiamus, inquit Craſſus, pulchellum puerum: cùm eſſet arriſum, Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipſe fingere, ingenium potui. Tum hic, audiamus inquit, diſertum: multò etiam arriſum eſt vehementiùs.* Æneid. 1. Catachreſis eſt.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma, At (10) *ſpernate Deos memores fandi atq; nefandi,*

Item Georg. 4.

Alter erit maculis auro (11) *ſqualentibus ardens.*

(12) Metalepſis frequentiſſimè occurrit. Sed Ironia cotinuata facit Allegoriam gratiorem.

rem. In Clod. *Integritas tua te purgavit, (mihi crede) pudor eripuit, vita anteacta servavit.* Æneid. 4.

(13) *Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis,*
Túque puérque tuus, magnum & memorabile nomen;
una dolo divûm si fœmina victa duorum est.

Hîc & (14) personæ, (15) rei, & (16) pronunciationis, si oratio bene proferatur, cum verbis dissensio manifesta est.

Est & Ironia quæ Paralipsis sive Præteritio quibusdam dicitur: ut in his formulis, *prætereo, mitto.* Pro Pomp. *Sinite hoc loco, Quirites, sicuti poetæ solent qui res Romanas scribunt, (17) præterire me nostram calamitatem, quæ tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli, non è prælio nuncius, sed ex sermone rumor afferret.* Æneid. 10.

Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum regem, ventósque furentes
Æolia excitos, aut actam nubibus irim?

Pro Cluent. (18) *Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam.*

Ironia deniq; est, quæ Apophasis sive Negatio dicitur, Paralipsi (19) non dissimilis. Ver. I (20) *Nec ea dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis, &c. Sunt hæc & alia in te falsi accusatoris signa permulta, quibus ego non utor.*

Ad

Ad Cap. 6.

(1) *Oppoſito.* Sic in fine cap. 16. ſchol. Rhet. ipſe Ramus; non autem *à contrario ad contrarium*; quomodo Talæus definiens, Ironiam à diſparato excludit. (2) *Percipitur* Sic Fabius lib. 8. cap. 6. (3) *Diſparata.* (4) *Contraria.* Diſparata ſunt res quælibet naturâ diverſæ; ideóque unum multis pariter opponitur. Contraria ſunt res ſibi invicem naturâ repugnantes; idéque unum uni tantùm opponitur: Vide Oratoriæ, lib. 2. cap. 2. § 3. ¶ 1. (5) *Me.* Se nominat Menalcas, ſed Damœtam intelligit. (6. *Nec in his.* Ulyſſes Ajacem taxans, negat quenquam ſui generis damnatum & exulem fuiſſe: ſed illud tacitè Ajaci exprobrat, cujus pater Telamon, & patruus Peleus, quòd Phocam tertium fratrem trucidaſſent, exulabant. (7) *At non.* Sic Lycus ad Amphitryonem de Apolline, contrarium innuens de Hercule. (8) *Ironia à contrario.* Ironia à contrario poteſt eſſe quadruplex: nam

Contraria ſunt { Relata. Adverſa. Contradicentia. Privantia.

Ironia à relatis: ut ſi pater moleſto & contumaci filio dicat *Scilicet tu mihi pater eris, ego tibi filius, ideóque (uti par eſt) parebo.* Ab adverſis *Pulchellum puerum:* A contradicentibus, *Non agam tecum jure ſummo:* huc referri poſſunt paralipſis & Apophaſis. A privantibus: ut ſi quis de divite dicat, *homo eſt, mihi crede inops & egenus* (9) *Bone vir.* Si Simo Davum ironicè affatur, ſceleſtum eum eſſe, peſſimèque ſe geſſiſſe ſignificans. (10) *Sperate.* timete: ut Æneid. 4.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

(11) *Squalentibus.* Splendentibus. Eſt in his vocibus Catachreſis: nam *ſperare dolorem*, & *ſqualere auro*, adeò ſunt abſona, ut vix alibi reperias. (12) *Metalepſis.* Nam *integritas, purgavit*, & *prætereo*, ſunt Metaphoræ;

phoræ: *utor* Synechdoche generis, pro commemoro vel urgeo. (13) *Egregiam.* laudem nullam; turpe potiùs dedecus & infamiam. (14) *Personæ.* Nam verbi sunt Junonis ad Venerem & Cupidinem, quos capitali habuit odio, ideóque eos vituperio potiùs quàm laude efficeret. (15) *Rei.* Nam imbellem fœminam à potentibus diis superari, leviculum est, nec laudem minimam mereatur. (16) *Pronunciationis.* Alia enim orationi simplici, alia Ironicæ pronunciatio convenit: quæ tamen interdum non servatur, vel personâ, vel rei naturâ ipsam Ironiam satis ostendente. (17) *Præterire.* Præterire se simulat orator suorum calamitatem, quam tamen significantiùs exprimere non posset. (18) *Mitto.* hic ut suprà quædam simulatè dicuntur prætermitti, quæ tamen disertè memorantur: ubi continuatio trium Ironiarum Allegoriam facit. (19) *Non dissimilis.* Nam non nisi modo loquendi differt, re & sensu prorsus eadem. (20) *Nec ea.* Hic *nec ea dico, non utor,* Apophasin similem habent

CAP. VII.

METaphora sive Translatio est trópus à (1) simili ad simile.

Ideóque est ad unum verbum contracta similitudo. Tropus autem nullus est florentior quàm Metaphora, nec qui plus luminis afferat orationi: præsertim si ratione sumpta est, & ad sensus ipsos admovetur, maximè oculorum, qui est sensus acerrimus. Nam & (2) *odor urbanitatis*, & *mollitudo humanitatis*, & *murmur maris*, & *dulcedo orationis*, sunt ducta à cæteris sensibus: illa vero oculorum multò clariora. Ad Attic. lib. 4. Epist. 16. *Amissimus, mi Pomponi, omnem non modo* (3) *succum & sanguinem,*

sed

ſed etiam (4) *colorem & ſpeciem priſtinæ civitatis* Catil. 3. *Tum vero clariſſimis viris interfectis*, (5) *lumina civitatis extincta ſunt.* Atque hinc eſt quòd (6) *odorer* ſeu *olfacio*, *teneo*, *guſtio*, & *audio*, interdum ponantur pro *intelligo: video* verò *cerno*, & *perſpicio*, ſæpiſſimé.

Nihil eſt autem in rerum natura, unde ſimile duci non poteſt, indidémque ideo & Metaphora. Pro Sext. *Cujus ego patrem* (7) *deum atque parentem ſtatuo fortunæ nominiſque mei.* Tuſc. 1. *Honos alit artes, omneſque* (8) *incenduntur ad ſtudia gloriæ.*

Meram. 1. ..... *Dii cœptis*
(9) *Aſpirate meis* ..... Æneid. 4.
——— *Magnèque irarum* (10) *fluctuat æſtu.*
2. Orat. *Ut* (11) *ſementem feceris, ita metes.*

Catachreſis eſt Eclogâ. 7.

(12) *Vir gregis ipſe caper deerraverat.* ---- & Quint. lib. 8. cap. 6. *Capitis* (13) *nives.*

Unum hîc eſt (14) oratoris præceptum: Si vereare nè paulò durior tranſlatio eſſe videatur, mollienda ſæpe eſt præpoſito verbo *ut ita dicam, ſi ità loqui liceat*, aut ſimili formulâ; ut ſi olim Marco Catone mortuo, *pupillum* ſenatum quis relictum diceret, paulò duriùs; ſin, *ut ita dicam pupillum*, aliquanto mitiùs.

Metalepſis eſt 3. de Orat. (15) *Syrtim patrimonii & Charibdin bonorum*, & apud Quintil. lib. 10. cap 1. *Iſocrates omnes dicendi* (16) *Veneres ſectatus eſt.* Atque Georg. 4.

Im-

Immensáq; trahi (17) *nubes, jamq; arbore ſumm confluere, & lentis* (18) *uvam demittere rami*

Hyperbole verò & Allegoria in Metaphori præcipuam laudem obtinent; atque ex Hyperbolica Metaphora oritur mira ſublimitas orationis, (19) cùm rebus ſenſu carentibus, actum quendam & animos damus Æneid. 1.

——*geminíque* (20) *minantur*
In cœlum ſcopuli---& Æneid. 8.

----*Pontem* (21) *indignatus Araxes.*

Item pro Marc. *Parietes, medius fidius, C. Cæſar, ut mihi videntur, hujus curiæ tibi gratias agere geſtiunt.* Sic contrà in Bruto. (22) *Latrant quidam oratores, non loquuntur.* Et in Piſone. *Itaque admiſſarius iſte, ſimul atque audivit à Philoſopho voluptatem tantopere laudari, ad illius hanc orationem* (23) *adhinniit.* Allegoriæ hic ſuæ multò illuſtriſſimæ. Catil. 3. *Memoriâ veſtrâ, Quirites, noſtræ res alentur, ſermonibus creſcent, literarum monimentis inveteraſcent & corroborabuntur.* Verr. 4. *Ipſe inflammatus ſcelere venit in forum, ardebant oculi, totóque ex ore crudelitas micabat*, in Piſ. (24) *Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. navem gubernaſſem, ſalvámque in portu collocaſſem* (25) *frontis tuæ rubeculam, aut collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem: alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas: aliis impendentibus periculis non ceſſi.*

Ad

Ad Cap. 7.

(1) *Similî.* Metaphora omnis, cùm nihil aliud ſit quam brevis & occulta ſimilitudo, per adverbium ſimilitudinis, *quaſi*, *tanquam*, *veluti*, &c. reſolvitur & explicatur. (2) *Odor*, hic quaſi odor, quaſi mollitudo, quaſi murmur, & quaſi dulcedo intelligitur. (3) *Succum* (4) *Colorem.* juſtitiam, & ordinem: eſt enim juſtitia & legum obſervatio quaſi ſuccus & ſanguis civitatis; civiles autem & externi mores, quaſi color & ſpecies ejuſdem. (5) *Lumina.* quia veluti lumina ſplendent & celebrantur: itidem lib. 12. Epiſt. 5. ad Caſſium. *Nunc autem opto ut ab iſtis orientis partibus virtutis tuæ lumen eluceat.* (6) *Odorer.* Hic quæ ſenſuum & præcipuè quæ viſûs ſunt propria, ad animi actum denotandum transferuntur: *Odoror*, Cic. ad Attic. l. 4. Epiſt. 77. *Tu velim ex Fabio (ſi quem habes aditum) odorere, & iſtum convivam tuum deguſtes.* *Olfacio*, Terent. Adelph. act. 3. *An non ſex totis menſibus priùs olfeciſſem, quàm ille quicquam cœperit? Teneo*, Teren. Heaut. act. 4. *Tenes quid dicam? Guſto*, Cic. in Piſ. *Non guſtarat illam tuam Philoſophiam Audio*, Eunuch. act. 2. P. *Capias tu illim veſtem.* Chæ. *Veſtem? quid tum poſtea?* P. *Pro illo te deducam.* Chæ. *Audio*, i. intelligo quorſum Eunuchi veſtem induerem: ipſa vox propria ſubſequitur. P. *Te eſſe illum dicam.* Chæ. *intelligo.* *Video*, Cic. ad Torquatum lib. 6 *Summa tamen eadem eſt & idem exitus, quem ego tam video animo, quàm quæ oculis cernimus.* *Cerno.* Cic. 1. de Finib. *Quicquid porrò animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus.* *Perſpicio*, 2. de Fin. *Non ſatis perſpicio iſto verbo quæ ſit.* (7) *Deum.* Hic tanquam Deum atque parentem intelligis. (8) *Incenduntur.* ità ardenti excitantur ſtudio, ut quodammodo incendi videantur: Metaphora eſt ab igne. (9) *Aſpirate.* ſecundate, ut cùm auræ ſecundæ navium aſpirant carbaſis: Metaphora ab aëre. (10) *Fluctuat.* quaſi fluctuans huc & illuc incerta rapitur: Metaphora ab aqua, ut Æneid. 8.

——— *Magno curarum fluctuat æſtu.*

(11) *Ut sementem*, reportabis præmium factis dignum: vid. Chil. 1.cent.8, à terra ducitur hæc duplex Metaphora, quæ Allegoriam facit. (12) *Vir gregis*. mitiori metaphorâ caprarum maritus, i. admissarius: qui uno plerunque nomine Hircus dicitur. (13) *Nives*, nivei seu cani capilli: Catachresis, quia translatio durior videtur. Eandem habet Horat. Car. 4. Od. 13. (14) *Orator*. 3. de Orat. (15) *Syrtim*. Metalepsis: nam Syrtim pro scopulo, & Charybdin pro voragine, Synecdoche est speciei, & scopulum patrimonii, aut bonorum voraginem pro luxurioso, qui potrimonium & bona sua prodigit, & quasi vorat, Metaphora est. Est tamen in *Syrtim* & *Charybdin* Catachresis quædam; scopulum & voraginem (inquit ibidem orator) libentius dixerim. (16) *Veneres*. elegantias, Metalepsis: Venus pro venusta e Meton. est efficientis, (vide numerum 13. in notis ad caput secundum) & venustas pro gratia & suavitate in dicendo, Metaphora est. (17) *Nubes*. Duplex est hoc disticho Metalepsis. Nubes pro nube Synecdoche est numeri: & nubes pro examine, nubis instar, aërem obscurante, Metaphora est. (18) *Uvam*. Altera Metalepsis: *Uva* pro racemo. Synecdoche est membri: racemus pro examine, in morem racemi pendente, est Metaphora. Vide Hist. Apum. c. 5. n. 42. (19 *Cum rebus*. Sic Arist. Theod. lib. 3. cap. 11. deinde Quintil. cap. 6. lib. 8. admonuerunt. (20) *Minantur in cœlum*, nempe in tantam altitudinem editi, ut cœlum pertingere videantur, (21) *Indignatus*. Araxes Armeniæ fluvius superstructum ab Alexandro magno pontem sua inundatione dicitur evertisse. (22) *Latrant*, quasi latrant, quia præter rationem loquuntur. (23) *Adhinniit*, quasi adhinniit, quia ut lasciviens equus hinnitu, sic ille petulanti risu belluinum voluptatis appetitum prodidit: utraque Metaphora Miosin habet, prior enim ducitur à naturali canum voce, ut posterior ab equorum: quomodo rudere, quod est asinorum; grunnire, quod porcorum; gannire, quod vul-

vulpium; ululare, quod luporum eſt; &c. per Mioſin hominem dicimus, cujus orationem extenuare. & ob futilitatem elevare volumus: ut enim cum rebus inanimatis ſenſum, rationem & orationem attribuimus, hyperbolica eſt Auxeſis; ſic cùm homini rationis participi brutorum animantium voces affingimus, Hyperbolica Tapinoſis eſt. Sed in poſteriori exemplo *admiſſarius* & *adhinniit* Allegoriam etiam faciunt. (24) *Neque tam.* Inſignis hæc eſt Allegoria ter tribus vocibus continuata: ſimilis eſt apud Horatium Car. 1. Od. 14.

O navis referent in mare te novi
Fluctus? O quid agis? fortiter occupa

Portum &c. (25) *Frontis tuæ*, frontis nubeculam & contaminatum ſpiritum Hyperbolicā elationē habent

CAP. VIII.

SYnecdoche eſt tropus partis ad totum, aut contrá. Pars autem eſt membrum vel ſpecies.

Synecdoche Membri eſt, quando ex membro integrum ſignificatur. Andr. Act. 2.

Ridiculum (1) *caput.* Æneid. 2,

——— (2) *animáque litandum*
Argolica. ——— Ibidem.

Involvens umbra magna terrámque (3) *polúmq;*

Proſa *mucronem* pro *gladio*, & *tectum* pro *domo* recipiet: (4) non autem *puppim* pro *navi*, nec *abietem* pro *tabellis*. Catachreſis habetur Serm. 1. Sat. 1.

Ut cùm carceribus miſſos rapit (5) *ungula currus*

Metalepſis verò Eclog. 1.

Poſt aliquot mea regna videns mirabor (6) *ariſtas*

& Met. 1.

(11) *Ut ſementem*, reportabis præmium factis dignum: vid. Chil. 1. cent. 8, à terra ducitur hæc duplex Metaphora, quæ Allegoriam facit. (12) *Virgregis*. mitiori metaphorâ caprarum maritus, i. admiſſarius: qui uno plerunque nomine Hircus dicitur. (13) *Nives*, nivei ſeu cani capilli: Catachreſis, quia tranſlatio durior videtur. Eandem habet Horat. Car. 4. Od. 13. (14) *Orator*. 3. de Orat. (15) *Syrtim*. Metalepſis; nam Syrtim pro ſcopulo, & Charybdin pro voragine, Synecdoche eſt ſpeciei, & ſcopulum patrimonii, aut bonorum voraginem pro luxurioſo, qui potrimonium & bona ſua prodigit, & quaſi vorat, Metaphora eſt. Eſt tamen in *Syrtim* & *Charybdin* Catachreſis quædam; ſcopulum & voraginem (inquit ibidem orator) libentius dixerim. (16) *Veneres*. elegantias, Metalepſis: Venus pro venuſta e Meton. eſt efficientis, (vide numerum 13. in notis ad caput ſecundum) & venuſtas pro gratia & ſuavitate in dicendo, Metaphora eſt. (17) *Nubes*. Duplex eſt hoc diſticho Metalepſis. Nubes pro nube Synecdoche eſt numeri: & nubes pro examine, nubis inſtar, aërem obſcurante, Metaphora eſt. (18) *Uvam*. Altera Metalepſis *Uva* pro racemo. Synecdoche eſt membri: racemus pro examine, in morem racemi pendente, eſt Metaphora. Vide Hiſt. Apum. c. 5. n. 42. (19 *Cum rebus*. Sic Ariſt. Theod. lib. 3. cap. 11. deinde Quintil. cap. 6. lib. 8. admonuerunt. (20) *Minantur in cœlum*, nempe in tantam altitudinem editi, ut cœlum pertingere videantur, (21) *Indignatus*. Araxes Armeniæ fluvius ſuperſtructum ab Alexandro magno pontem ſua inundatione dicitur evertiſſe. (22) *Latrant*, quaſi latrant, quia præter rationem loquuntur. (23) *Adhinniit*, quaſi adhinniit, quia ut laſciviens equus hinnitu, ſic ille petulanti riſu belluinum voluptatis appetitum prodidit: utraque Metaphora Miſin habet; prior enim ducitur à naturali canum voce, ut poſterior ab equorum: quomodo rudere, quod eſt aſinorum; grunnire, quod porcorum; gannire, quod vul-

vulpium; ululare, quod luporum eſt; &c. per Mioſin hominem dicimus, cujus orationem extenuare. & ob futilitatem elevare volumus: ut enim cum rebus inanimatis ſenſum, rationem & orationem attribuimus, hyperbolica eſt Auxeſis; ſic cùm homini rationis participi brutorum animantium voces affingimus, Hyperbolica Tapinoſis eſt. Sed in poſteriori exemplo *admiſſarius* & *adhinniit* Allegoriam etiam faciunt. (24) *Neque tam.* Inſignis hæc eſt Allegoria ter tribus vocibus continuata: ſimilis eſt apud Horatium Car. 1. Od. 14.

O navis referent in mare te novi
Fluctus? O quid agis? fortiter occupa

Portum &c. (25) *Frontis tuæ*, frontis nubeculam & contaminatum ſpiritum Hyperbolicā elationē habent

CAP. VIII.

SYnecdoche eſt tropus patris ad totum, aut contrá. Pars autem eſt membrum vel ſpecies.

Synecdoche Membri eſt, quando ex membro integrum ſignificatur. Andr. Act. 2.

Ridiculum (1) *caput.* Æneid. 2,

——— (2) *animáque litandum*
Argolica. ——— Ibidem.

Involvens umbra magna terrámque (3) *polúmq;*

Proſa *mucronem* pro *gladio*, & *tectum* pro *domo* recipiet: (4) non autem *puppim* pro *navi*, nec *abietem* pro *tabellis*. Catachreſis habetur Serm. 1. Sat. 1.

Ut cùm carceribus miſſos rapit (5) *ungula currus*

Metalepſis verò Eclog. 1.

Poſt aliquot mea regna videns mirabor (6) *ariſtas*

& Met. 1.

Pulchra verecundo ſuffundens (7) *ora rubore.*
Hyperbole Æneid. 2.
Sic, ô ſic poſitum affati, diſcedite, (8) *corpus.*
Allegoria Cat. 1. *Nullo me modo poſſe iiſdem* (9) *parietibus tuto eſſe tecum, qui in magno periculo eſſem, quòd iiſdem mœnibus contineremur,* & ibid. *Mutorum te* (10) *oculi & aures non ſentientem, ſicut adhuc fecerunt, ſpeculabuntur atque cuſtodient.* (11) Sic numerus ſingularis pro plurali, Æneid. 2.
12) *Hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troja.*
Item Cat. 1. *Quid tam neceſſarium eſt, quàm tenere ſemper arma quibus tectus eſſe* (13) *poſſis?*

Ad Cap. 8.

(1) *Caput.* pro homine. (2) *Animáque Argolica* pro homine Græco. (3) *Polum.* Pro cœlo, cujus minima eſt particula. (4) *Non autem.* Verba ſunt Quintiliani lib. 8, cap. 6 Puppis itaque, poſterior pars navis, pro navi, licèt in carmine frequentior ſit, eſt tamen in proſâ Catachreſis: cujuſmodi etiam eſt *carina*, infima navis pars: utramque eodem diſtichо habet Ovidius Heroid. 2.

Ah laceras etiam puppes furioſa refeci,
Ut qua deſererer firma carina foret.

(5) *Ungula.* Ungula equina pro ipſo equo, quia dura & inæqualior videtur tranſlatio, Catachreſis eſt. (6) *Ariſtas.* annos, Metalepſis: ariſta pro ſpica Synecdoche eſt membri, ſpica pro ſegete Synecdoche item membri, ſeges pro æſtate, quo anni tempore in agris luxuriatur, Metonymia eſt ſubjecti pro adjuncto, æſtas pro anno rurſum Synecdoche membri pro integro (7) *Ora.* vultum, Metalepſis: ora pro ore Synecdoche eſt pluralis pro ſingulari, & os pro integra facie Synecdoche eſt membri (8) *Corpus.* Loqui

cu

tur hic de se Anchises. Est autem in hac voce Miosis quædam: significare enim vult hominem se esse animâ & vitâ penè destitutum. (9) *Parietibus.* hic parietes pro domo, & mœnia pro urbe intelligis. (10) *Oculi & aures.* pro oculatis & auritis hominibus. (11) *Sic numerus.* Docet scholarum Rhetoricarum lib. 16. P. Ramus numerum pluralem esse totum quiddam, & singularem, quandam illius partem; illum verò hujus genus, aut hunc illius speciem (ut Talæus sentire videtur) nusquam dicit: per partem autem nihil aliud intelligit quàm membrum, pro quo per Synecdochen generis sæpissime usurpatur, quemadmodum & totum pro integro. Est itaque singularis pars seu membrum, non species pluralis, præsertim cum ex unitatibus tanquam ex particulis multitudo omnis constituatur. (12) *Hostis*, hostes. (13) *Possis.* possimus, vel quilibet possit.

CAP. IX.

SYnecdoche Speciei est, quando ex specie significatur genus. Georg. 4.

(1) *Chaoniam pingui glandem mutavit arista,*
(2) *Poculáque inventis Acheloia miscuit uvis.*

Catachresis est Catil. 1. *Certè verendum non erat, nè quid hoc* (3) *paricidâ civium interfecto invidiæ mihi in posteritatem redundaret,* & Æneid. 2.

——*Equum divina Palladis arte*

(4) *Ædificant.* ——Item. Serm. 2 Sat. 3. *Atqui vultus erat multa & præclara* (5) *minãtis.* Sic (6) infinitum numerum dicimus pro magno. Orat. 2. *Cujus ex ludo, tanquam ex equo Trojano,* (7) *innumeri principes exierunt.* Cic. 2. de Devin. (8) *Sexcenta licet ejusmodi proferre:*

ubi Metalepsis est (9) Hyperbole hic est frequentior, cùm nomen speciale rei cujuspiam in suo genere præcellentis, pro generali ponitur, Juv. Sat. 2.

Ultra (10 *Sauromatas fugere hinc libet & glacialem*
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui (11) *Curios simulant, &* (12) *Bacchanalia vivunt.*

Item Trist 1. Eleg. 2.

Me miserum! quanti montes volvuntur aquarii?
Jam jam tacturos (13) *sydera summa putes.*
Quantæ diducto subsidunt æquore valles?
Jam jam tacturas (14) *Tartara nigra putes.*

Audacior verò est, cùm singularia illa etiam superari ab aliquo dicimus, Trist. 3. Eleg. 11.

(15) *Sævior es tristi* (16) *Busiride sævior* (17) *illo*
Qui falsum lento torruit igne bovem.

Allegoria est Agrariâ 2. *Cùm haberet hæc Respublica* (18) *Lucinos, Calatinos, Acidinos, homines non solùm honoribus populi, rebúsque gestis, verùm etiam patientiâ paupertatis ornatos; & tum cùm erant Catones, Philippi, Lælii, quorum sapientiam temperantiámque in publicis privatísque, forensibus domesticísque rebus perspexeris; tamen ejusmodi res commissa est nemini.* & Mart. lib. 8. Ep. 56.

Sint (19) *Mecœnates non deerunt, Flacce, Marones.*
Virgiliúmq; tibi vel tua rura dabunt.

Ad

Ad Cap. 9

(1) *Chaoniam glandem.* (2) *pocula Acheloia,* Chaonia regio est glandium feracissima; Achelous est fluvius eandem preterfluens: significat autem hîc Poëta per *Chaoniam glandem* & *Acheloia pocula*, glandem & aquam in genere; sed est in posteriori tropo Metalepsis: nam *Acheloia pocula* pro aqua Acheloia Metonymia est subjecti, & aqua Acheloja pro qualibet aqua Synecdoche est speciei. (3) *Parricida* (4) *Ædificant.* (5) *Minantis. Parricida* propriè dicitur, qui parentem cecidit, sed hic Catachresticôs ponitur pro interfectore; ubi etiam Auxesis est, sive amplificans Hyperbole, quòd scilicet atrocius adhibetur vocabulum, quâm factum fert. *Ædificare* propriè significat ædes struere; hic autem simpliciter struere. *Minari* hîc pro promittere, ut in Synecdoche generis *promittere* pro minari. In quibus omnibus, quia durior & ingratior videtur immutatio, Catachresis est. (6) *Infinitum*, non sine Hyperbolica Auxesi. (7) *Innumeri*, multi. (8) *Sexcenta.* plurima, Metalepsis; duplex enim est Synecdoche: sexcenta pro innumera modus est primus; innumera pro multa secundus modus est. Hæc Metalepsis usitata est: ut in Aululat. Plauti, *Sexcenta sunt quæ memorem, si sit otium. Mille* etiam & *centum* per similem Metalepsin idem non raro significant: ut Eclog. 2.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Et Æneid. 5. —— *ceu nubibus arcus*
Mille trahit varios adverso sole colores. Æneid. 3.
Centum alii curva hæc habitant ad littora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant. & Æn. 6.
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum.

(9) Hyperbole ista *Antonomasia* vulgò dicitur. vid. 6. in notis ad cap. 11. (10) *Sauromatas & glacialem Oceanum*, (11) *Curios*, (12) *Bacchanalia.* Auxesis est: hic enim, cùm loca remota, viros temperatos, & quodlibet intemperantiæ genus intelligat, superlatis earum specierum, quæ in his generibus maxi-

me excellunt, nominibus utitur: ubi quatuor tropo-rum continuatio Allegoriam facit. Sic *Epicurus* pro voluptuario, *Aristides* pro justo, *Crœsus* pro divite, *Sardanapalus* pro effœminato, *Midas* pro avaro, *Ther-sites* pro deformi, *Panus* pro perfido: quæ Auxesis est. Sic *Irus* & *Codrus* pro paupere, *Pygmæus* aut *nanus* pro brevis staturæ homine: quæ Tapinosis est, sive exe-nuans Hyperbole. (13) *Sydera* (14) *Tartara*. Syde-ra pro sublimiori, & Tartara pro profundiori loco: in quibus est & Auxesis, & Allegoria. (15) *Sævior* es &c. Sic Eclog. 7.

Nerine Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cycnis, hedera formosior alba.

ubi *sævior Busiride, sævior Phalaride, thymo dulcior, cycnis candidior, hederâ formosior*, Auxeses sunt audaciores; quales innumeræ sunt, quæ in proverbio abierunt: ut

Japeto
Crono &
Titanibus } *antiquior.*
Chao &
Saturna

Spongiâ bibacior.
Nive candidior.

Melanione
Hippolyto } *castior.*

Crassô
Crœso } *ditior.*

Prodico doctior.
Ulysse dolosior.
Nestore facundior.
Codro generosior.
Labyrintho involutior.
Iracundior Adriâ.

Turture
Littore
Cane } *loquacior.*

Stentore clamosior.
Electro lucidior.
Cretense mendacior.
Auricalcâ imâ mollior.

Empusâ
Proteo } *mutabilior.*

Pice
Scarabæo } *nigrior.*

Pœno perfidior.
Lynceo perspicacior.
Lecytho pinguior.
Milone robustior.
Pisce sanior.
Socrate sapientior.
Catone severior.
Cerâ tractabilior.
Pegaso velocior.

Cervo
Cornice } *vivacior.*

Luscinià vocalior.
Purpurâ voracior, &c.

Ut

Ut

Tiresiâ
Talpâ } *cæcior.*
Leberide
Philonide indoctior.
Inutilior blace.
Leotrephide } *macilentior.*
Philetâ
Leberide nudior.
Iro
Codro } *pauperior.*
Phœnice rarior.

Messenâ servilior.
Grillo
Coræbo } *stultior.*
Melitide
Moricho
Plumbo stupidior.
Limace
Testudine } *tardior.*
Pisandro
Epeo } *timidior.*
Care vilior.

& similia Mioses sunt: nam comparatio in defectibus magis minuit. Ex hujusmodi Hyperbolis amatoriam suam cantilenam composuit Polyphemus Met. 13.

Candidior folio nivei Galatea ligustri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior vitro, tenero lascivior hædo,
Lævior assiduo detritis æquore conchis,
Solibus hybernis æstiva gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior uva,
Mollior & cycni plumis & lacte coacto,
Et si non fugias riguo formosior horto:
Sævior indomitis eadem Galatea juvencis,
Durior annosa quercu, fallacior undis,
Lentior & salicis virgis, & vitibus albis,
His immobilior scopulis, violentior amne,
Laudato pavone superbior, acrior igni,
Asperior tribulis, fœra truculentior ursa,
Surdior æquoribus, calcato immitior hydro,
Et, quod præcipuè si possem, demere vellem,
Non tantum cervo claris latratibus acti,
Verùm etiam ventis, volucrique fugaci [illegible].

(16) *Busiride.* Busiris Neptuni filius [illegible] Ægyptorum tyrannus, hospites Jovi immolare solitus est; qui cùm Herculi easdem insidias strueret, una

cum Amphidamante filio, & miniſtris aræ, ab eo interfectus eſt. (17) *Illo.* Phalarin deſcribit, de quo in Metonymia adjuncti. (18) *Lucinos.* In allegoria iſta troporum ſignificatio hic ibidem ab oratore explicatur, (19) *Mecœnates.* Significant hîc *Marones* & *Virgilium* viros dictos: *Mecœnates* verò doctorum patronos.

CAP. X.

SYnecdoche Totius eſt, quando ex toto pars ſignificatur: eſtque integri, vel generis.

Synecdoche Integri eſt, quando ex integro ſignificatur membrum. Æneid. I.

(1) *Pabula guſtâſſent* Trojæ, (2) *Xanthúmque bibiſſent.*

Epiſt. I. l. 4. Metalepſis eſt. *Res vides quomodo ſe habent,* (3) *orbem terrarum, diſtributis imperiis, ardere bello.* & Æn. I.

——— *Ingens à vertice* (4) *Pontus*
In puppim ferit ———

Hyperbole eſt Philip. 2. *Magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum,* & (5) *totum tribunal implevit.*

(6) Sic numerus pluralis pro ſingulari. Ad Brut.

(7) *Nos populo impoſuimus, & oratores viſi ſumus.*

Triſt. I. Eleg. I,

Neſcit in immenſo jactari (8) *corpora Ponto;*
Neſcit agi ventis; neſcit adeſſe necem.

Ad

Ad Cap. 10.

(1) *Pabula.* (2) *Xanthum*, partem pabuli, partem Xanthi fluvii: non totum pabulum, non totum Xanthum. Sic Eclog. 1. *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.* (2) *Orbem.* imperium Romanum. Metalep. orbem pro globo Synecdoche est membri peo integro: & globum terræ pro parte globi, qualis est Romanum imperium, Synecdoche contraria est integri pro membro. (4) *Pontus.* unda, Metalepsis: nam Pontus Nerei & Doridis filius pro illa maris parte, quæ à palude Mæotide usque ad Tenedum insulam in mari Ægeo protenditur, Metonymia efficientis est; mare Ponticum pro universo mari, Synecdoche est membri pro integro; & mare pro unda seu fluctu maris, est Synecdoche contraria integri pro membro. (5) *Totum tribunal.* Auxesis hic est ad fœditatem facti exaggerandum (6) *Sic numerus.* vide Synecdochen membri (7) *Nos.* De se tantùm loquitur orator. (8) *Corpora.* Suum intelligit poëta corpus, quod in quanto jam versaretur discrimine, uxorē queritur ignorare: eadem vox ibidem occurrit.

Ferte (quid hic facio) rapidi mea corpora venti:
Ausonios fines cur mea vela vident?

CAP. XI.

SYnecdoche Generis est, quando ex genere significatur species. Æn. 1.

—— *dolus an* (1) *virtus quis in hoste requirat?*

Cat. 2. *Sine dubio perdidimus* (2) *hominem.* Verr. 2. *Ad quam spem tam perniciosum, tam importunum* (3) *animal reservetis?*

Sic cùm (4) *vixisse*, & (5) *fuisse* dicimus, quæ jam mortua esse, & non existere intelligimus. Æneid. 2.

—— *fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens*
Gloria Teucrorum ——

Est

Est autem hæc Synecdoche elegantior, cùm generali nomine, quod in eo genere maximè excellit, (6) κατ' ἐξοχὴν insignitur. Sic. (7) *Tydides* & *Pelides*, pro *Diomedæ* & *Achille*. Sic (8) *Poeta* pro *Homero*, aut *Virgilio*: (9) *Orator* pro *Demosthene*, aut *Tullio*. Catachresis est Æneid. 2.

Non prius adspicies ubi fessum ætate (10) parentem
Liqueris Anchisen? —— & Æneid. 1.

(11) *Promisi ultorem*. (12) *Erratum* pro *scelere*, Hyperbole est. Allegoria hic etiam est frequens.

Catil. 1. *Exire ex* (13) *urbe consul hostem jubet.*

Ad Cap. II.

(1) *Virtus*, fortitudo. (2) *Hominem*. Hominem dicit pro Catilina (3) *Animal*. Animal pro bestiâ dicit orator. (4) *Vixisse*. (5) *Vixerunt*, *Fuerunt*, & hujusmodi voces, generale quiddam in se complecti videntur: quæ enim fuerunt, vel tantùm fuerunt & jam non sunt, vel cùm fuerunt, tum sunt etiã: Quando igitur *fuimus* & *fuit* significent hic fuisse tantùm, & non etiam nunc esse, Synecdoche est generis pro specie. (6) κατ' ἐξοχὴν, per excellentiam sive ob eminentiam; Antonomasia vulgò dicitur: ut etiam cùm contrà per Synecdochen speciei nomen proprium pro communi usurpatur. (7) *Tydides* & *Pelides*, Patronymica sunt loco propriorum posita: Erant enim Diomedes, & Achilles, hic Pelei, ille Tydei filii fortissimi. Itidem binos suscepit Atreus ex Ærope filios, Agamemnonem & Menelaum; per Atriden tamen Agamemnonem intelligimus, quippe qui in expeditione Trojana rex regum diceretur; ut Horat. Epist. 1. —— *Nestor componere lites*
Inter Pelidem festinat, & inter Atriden.

(8) *Poeta*,

(8) *Poeta.* (9) *Orat.* Ut enim inter poëtas Homerus apud Græcos, Virgilius apud Latinos; ſic inter oratores Demoſthenes apud illos, Cicero apud hos, principes exſtiterunt. (10) *Parentem.* pro patre, Catachreſis: parere enim, unde parens dicitur, eſt tantùm fœminarum: ut ad matrem facilis, ad patrem verò durior tranſlatio videatur. (11) *Promiſi.* Promiſi hic ponitur Catachreſtico: prominatus ſum, ut contrà in Synecdoche ſpecici. (12) *Erratum.* Tapinoſis eſt, atrocitatem rei elevans: ſic cùm *tetigiſſe* dicimus qui *alapam impegit*, aut *læſiſſe* qui *vulneravit*. (13) *urbe.* hic generalitèr verbis, *urbe, conſul, hoſtem*, intelligis *Româ, Tullius, Catilinam.*

ATque hæc de Tropis: quorum ſi præſtantia & excellentia ſpectetur, longè princeps erit Metaphora, Ironia deinde ſuccedet, tertia erit Metonymia, poſtrema Synecdoche. Uſus autem etiam frequentiſſimus eſt Metaphoræ, deinde Metonymiæ, tum Synecdoches, rariſſimus Ironiæ. Hanc autem inductionem, octo Ciceronis conſulares à P. Ramo obſervatæ concluſerunt. At præcipuè tres ſpecies, Metonymia, Metaphora, Synecdoche, ſæpe conjunguntur. In Piſ. *Unus ille dies mihi quidem inſtar immortalitatis fuit, cùm ſenatum egreſſum vidi, populúmque Romanum univerſum; cùm ipſa Roma propriè convulſa ſedibus ſuis, ad complectendum conſervatorem ſuum procedere viſa eſt: quæ mecùm accepit, ut non modò omnium generum, ætatum, ordinum, viri ac mulieres omnis fortunæ, ac loci, ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta urbis, ac templa lætari.* Hic Metonymiæ ſunt *ſenatus*, pro *ſenatoribus*, *Roma* pro *Romanis*; Synecdochæ *tecta* pro *ædificiis*, *mœnia* pro *urbe*; Metaphoræ autem illæ ex inanimatis & brutis rebus, animatæ & actuoſæ; *procedere, accepit, lætari*, præcipuam laudem obtinent.

Fi-


Figura eſt
dictionis in ſono
dimenſione: eſtque numerus
rectionis
1 Rhythmus.
2 Metrum.
3 oratorius.
repetitione
ſimilis
continuæ, ſententiæ,
eadem.
1 Epizeuxis.
diverſa.
2 Anadiploſis.
disjunctæ, loco
eodem,
principiis.
3 Anaphora.
clauſulis.
4 Epiſtrophe.
diverſo, i. initio & fine
ejuſdem ſententiæ.
5 Epanalepſis.
diverſarum ſententiarum
6 Epanodos.
leviter diſſimilis
diverſæ originis
7 Paronomaſia.
ejuſdem
8 Polyptoton.
ſententia in
logiſmo
1.
exclamatio.
1 Ecphonefis.
revocatio
antecedentis correctio
2 Epanorthoſis.
conſequentis. reticentia.
3 Apoſiopeſis.
2.
averſio ad alienam perſonam.
4 Apoſtrophe.
fictio alienæ perſonæ
5 Proſopopœia.
dialogiſmo
interrogatio.
de liberatio
nobiſcum
6 Aporia.
cum alio.
7 Anacœnoſis.
occupatio.
8 Pro epſis. & proſapodoſis.
reſponſio
facti
dicti
condonatio
9 Epitrope.
10 Synchoreſis.

CAP. XII.

EXpositio in tropis primo genere elocutionis, sequitur ut de Figura secundo loco dicatur. Figura est elocutio quâ (1) orationis habitus à (2) recta & simplici consuetudine mutatur.

Figura est dictionis, aut sententiæ. Figura dictionis est figura, quâ oratio figuratur dictionibus aptè & jucundè inter sese resonantibus. Estque in sonorum dimensione vel repetitione.

Figura in dimensione est suavis ille sonorum in oratione (3) numerus.

Est autem hîc perpetuò nitendum, ut (4) vocalium in diversis vocibus concursus sit quàm rariſſimus.

Ad Cap. 12.

(1) UT enim tropus se è est singularum vocum;
(2) sic figura conjunctarum est; útque vocum alia est propria, alia modificata, sic orationum alia est recta, alia figurata: illam Græci ἀσχημάτισον hanc ἐσχηματισμένην vocant, Q.l.9.c.1.

(3) Quo uno nihil est cognatius nostris animis: numero enim excitamur & languescimus, & ad hilaritatem tristitiámq; deducimur. Ejus verò gratia non solùm ducitur è mensuris syllabarum, sed etiam è sonis literarum, maximè vocalium, quæ vel grandiores, vel magis confertæ, in dictionibus resonant.

4) Orat Perf. ¶. 30. *Nemo est tam rusticus, quin vocales nolit conjungere.* & mox, *Crebram vocalium concursionem magna ex parte, ut vitiosam fugit Demosthenes.* Q.l.9. c.4. *Vocalium concursus cùm accidit,*

accidit, hiat, & interſiſtit, & quaſi laborat oratio: non tamen id, ut crimen ingens, expaveſcendum eſt: ac neſcio negligentia in hoc, an ſolicitudo, ſit pejor. Inhibeat enim neceſſe eſt hic metus impetum dicendi, & à poſterioribus avertat.

CAP. XIII.

NUmerus eſt poeticus, vel oratorius.

Poeticus eſt, qui perpetuis certorum ſpatiorum legibus aſtringitur (1).

Numerus poeticus eſt rhythmus, aut metrũ.

Rhythmus eſt numerus poeticus certum ſyllabarum numerum, nullâ habitâ quantitatis ratione, continens: Plerumque autem Epiſtrophen ſoni conjunctam habet (2): ut in illo a Homeri noſtri poemate.

a *Spencer.*

Deeds ſoon do dye however nobly done,
And thoughts of men do as themſelves decay:
But wiſe words taught in numbers for to run,
Recorded by the Muſes live for aye: way:
Nor may with ſtorming ſhowres be waſht a-
No better breathing winds with boiſtrous
Nor age, nor envy, ſhall them ever waſt. (blaſt

Et paulò póſt.

For not to have been dipt in Lethe Lake,
Could ſave the b ſon of Thetis from to dye:
But that blind c Bard did him immortal make,
With verſes dipt in dew of Caſtalie:
Which made the d Eaſtern Conqueror to cry,
O fortunate yong man, whoſe vertue found
So brave a trump, thy noble acts to ſound. (3)

b *Achilles.* c *Homerus.* d *Alexander.*

Rhythmi

Rhythmi genera partim syllabarum suarum numero, partim variâ sonorum resonantium dispositione distingui possunt: sed ea (4) optimorum poetarum observatio optimè docebit.

Ad Cap. 13.

(1) ET ferè in fabulosis argumentis ad hominum mores imitandum: & exprimendum: hinc tragœdia, comœdia, & cætera poematis genera orta sunt: in quibus περιπέτεια καὶ ἀναγνώρισις, varietas casuum & agnitio tandem insperata delectarent animos; ad eamque rem Rhetorici cujusque ornamenti præcipua licentia est assumta.

(2) Et est linguis vernaculis accommodatior.

(3) Decasyllabus iste Rhythmus, ut metrum Heroicum, præcipuè celebratur.

(4) Quales tum apud nos Homero, Maroni, Ovidio, cæterisque melioris notæ poëtis æquiparandi, D. Philippus Sidney, Edmundus Spencer, Samuel Daniel, Michael Drayton, Josuah Sylvester, ingeniosè pius Franciscus Quarles, & quem cum honore memoro, Divinus ille vates Georgius Wither, aliique ingenio & arte florentes. quorum hæc ætas uberrima est. Quibus accedat ex Poëtis scænicis, Senecæ, Plauto, Terentio neutiquam inferior, tragicus comicus historicus Gulielmus Shakespear, aliique singularis illius artificii æmulatores non pauci.

CAP. XIV. *De Metro.*

§. 1, *De Metaplasme.*

¶. 1.

METRUM est numerus poëticus certis pedibus constans: quorum ultimus ultimam syllabam habet indifferentem.

Hujus

Hujus numeri gratiâ Metaplaſmus, i. transformatio quædam Dictionis, permittitur: quando ſcilicet aliquid in ea redundat, deficit, aut immutatur.

Redundat aliquid addendo, vel diſtrahendo: Deficit (1) elidendo, (2) auferendo, vel contrahendo.

Metaplaſmi itaque quatuor ſunt genera: 1, in Elidendo, 2. in Addendo & Auferendo, 3. in Diſtrahendo & Contrahendo, ac 4. in Immutando.

Primi generis quæ ſunt ſpecies: Synalœpha & Ecthlipſis.

Synalœpha eſt eliſio (3) vocalis ante vocalem (4) in diverſis dictionibus.

Ecthlipſis eſt eliſio conſonantis M. cum præeunte vocali in fine dictionis, vocali ſequente: Hor. Epiſt. 2. l. 1.

(5) *Syncerum eſt niſi vas, quodcunque infundis acſcit,*

At *heu* (ô) *ô, iò* non eliduntur.

Atque hoc Metaplaſmi genus (7) ferè perpetuum eſt: reliqua rariora,

Ad ¶. 1.

(1) *Elidendo* (2) *auferendo.* Elidere eſt quod ſcriptione integrum eſt ſcanſione mutilare, Auferre, eſt etiam ſcriptione demere.

(3) *Vocalis.* Diphthongus hic rationem habet vocalis: ut

Agricolæ hyberno lætiſſima pulvere farra. Georg. 1.
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorſo. Ibid.

(4) Eli-

(4) Elidetur aliquando vocalis ante vocalem in diversis, ejusdem dictionis compositæ, partibus: ut *graveolens, semianimis, semihomo, anteambulo, anteit. Cecropiúmq; thymum, & graveolentia centaurea.* Geo.4. *Semianimi lapsóque supervenit.* ——— Æneid. 12. *Semihominis Caci facies quam dira tegebat.* Æneid.8. *Sum comes ipse tuus tumidáq; anteambulo regi.* Mar.l.2. *Nunc præcedentem sequitur, nunc prævius anteit.* Met.11. *Qui candore nives anteirent, cursibus æquor.* Æn.12.

(5) *Sincerum.* Hîc *um* in Syncerum: item *E* in Quodcunque eliditur; *Scit* autem ultima, cùm sit brevis, pro longa habetur.

(6) ô tàmen interdum unum tempus amittit: ut *Te Corìdon ô Alexi. Trahit sua quemque voluptas,* Ecl.2. Vide mox Synalœpham omissam.

(7 *Ferè perpet.* Nam Synalœpha (Græcorum more) interdum omittitur: ut

Et longùm formose vale, vale, inquit, Jula. Eclog.3.
Credimus? An qui amant ipsi sibi somnia fingunt? Ec.8.
Nomen & arma locum servant, te, amice, nequivi. Æn.6.
Tuque, ô Tybri, tu ô genitor cum flumine sancto. Æn.8.
Uno in lectulo erudituli ambo. Catull in Mamurram & Cæsarem.
Implêrunt montes, flêrunt Rhodopeiæ arces. Georg.4.

Ubi vocales longæ non elisæ, dimidiam amittunt quantitatem.

Interdum etiam manent integræ: ut

Stant & juniperi, & castaneæ hirsutæ. Eclog.7.
Clamâssent in littus Hyla, Hyla omne sonaret. Eclog.6.

Hic *A* in priori *Hyla* manet longum, in posteriori corripitur. Sic

Ter sunt conati imponere Pelio Ossan. Georg.1.

Ubi *I* suam retinet quantitatem, *O* vero corripitur.

Manet aliquando & vocalis brevis: ut

Ponderis amissa vi possint stare inani. Lucret. l.1.
Et vera incessu patuit Dea: ille ubi matrem. Æn.1.
Et bis iò Arethusa, iò Arethusa, vocavit. Met.5.

Est

Est etiam ubi Ecthlipsis omittitur: ut apud Ennium citante Prisciano,

Insignita fore tum millia militum octo

Quædam etiam hujus generis sunt apud Lucretium: ut

Corporum augebit numerum. Summámque sequetur. lib. 1.
Nam quod fluvidum est è levibus atque rotundis. lib. 2.
Namque papaverum aura potest suspensa leviſque. lib. 3.
Semina seque simul cum eo commiscuit igni. lib. 6.

Quos etiam Ovidius imitari ausus est:

Digna sum, & cupio fieri matrona potentis. Epist. 5.

Ut Aldinum habet exemplar: quamvis castigator, nescio quis, nè metrum claudicaret, plùs satis solicitus, otiosâ conjunctionis, que adjectione sustentandum censuit. Sic enim aliàs legitur, *Dignáque sum*, &c.

Veteres etiam S. cum sua vocali, ante vocalem eliebant; ante consonantem tantùm S. ut Ennius.

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Vicit Olympia, tunc senio confectus quieſcit.

(Citat Cicero istud de Senectute, illud pro Murena) & Lucretius frequenter.

Nam si erant juvenes subitò ex infantibus parvis, lib. 1.
Pondus uti saxis, calor ignibus, liquor aquai. Ibid.
Nonne vides etiam patefactis temporis puncto. Ibid.

Et Hostilius Annal. 1.

Sæpe, reges pecudum ex hybernis pastibus pulsi.

Catullus etiam ad Gellium dixit.

Affixus nostris tu dabis supplicium. Et Manil. lib. 2.
Formosos Phœbus Geminos, Cyllenius Canorum.

Sic Lucret. lib. 2.

Est è levibus atque rotundis adnixa volare. Et Lib. 4.
Nonne vides igitur quàm puncto temporis imago.

Etiam Virgilius Æneid. 2.

Limina tectorum, & mediis in penetralibus hostem.

Et Æneid. 12.

Inter se coiisse viros, & decernere ferro.

Supereſt aliquando in versu (quæ indè Hypermeter dicitur) post pedes debitos syllaba vocalis aut M. terminata,

minata, quæ à vocali sequentem versum inchoante elidenda est: ut

Inscritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et sterilis Platani &c. Georg. 2.
Barba erat incipiens, barbæ color aureus, aurea
Ex humeris &c. Met 12.
Jámque iter emensi turres & tecta Latinorum
Ardua cernebant &c. Æneid. 7.
Et tellus Cyrcæa, & spissi littoris Antium
Hinc ubi &c. Met. 15.

Enclitica conjunctio *que* frequentissimè superest: ut

Si non tanta quies iret frigúsque calorémque
Inter &c. Georg. 2.
Navigiis pinos, domibus cedrósque cupressósque
Hinc radios &c. Ibid.
Jactamur docuas: ignari hominúmque locorumque
Erramus &c. Æneid. 2.
Aurea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes &c. Ibid.
Quem non incusavi amens hominumque deorúmque,
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe? Ibid.

Sed ista partim antiquata, partim licenter à Poetis usurpata, notanda magis discentibus quàm imitanda sunt.

§. 1. ¶. 2.

Metaplasmi in addendo & auferendo sex sunt species: Prothesis, Aphæresis, Epenthesis, Syncope, Paragoge, Apocope.

Prothesis est, quæ literam vel syllabam addit in principio: ut (1) *gnatus* (2) *tetuli*.

Aphæresis est, quæ à principio aufert: ut (3) *temnere*.

Epenthesis est, quæ addit in medio: ut (4) *alituum* (5) *[illegible]navita* (6) *induperator* (7) *litiera*.

Syncope

Syncope est. quæ è medio aufert: ut (8) *vincla*, (9) *virûm*, (10) *petii*, (11) *repostus*.

Paragoge est, quæ addit in fine: ut (11) *dicier*.

Apocope est, quæ à fine aufert: ut (13) *dixtin*, (14) *curru*.

Ad ¶. 2.

(1) Pro *natus*: ut

——— *gnato ut medicarer tuo*. And. Act. 5. Sc. 1.

(2) pro *tuli*: ut

Incepi dum res tetulit: nunc non fert. And. Act. 5. Sc. 1.

(3) pro *Contemnere*: ut

Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. Hor. Sat. 2. l. 2.

(4) pro *alitum*: ut

Alituum pecudumque genus sopor altus habebat. Æn. 8.

(5) pro *nauta*: ut

Navita de ventis, de tauris narrat arator. Prop. l. 2. El. 1.

(6) pro *imperator*: ut

Quales nunc epulas ipsum glutisse putamus.
Indupcratorem. ——— Juv. Sat. 4.

Item, *Indugredi sceleris, quin contrà sæpius olim*. Lucr. 1.
At non esse tamen perplexis indupedita. Idem 2.

(7) pro *litera*: ut

Littera scripta manet.

Sic *quatuor*, *Porsenna*, *quotidie*, &c. solent enim poetæ in quibusdam vocibus post syllabam naturâ brevem, ut eam producant. consonam immediatè sequentem geminare: præcipuè post præpositionem *re*, ut *relliquiæ*, *relligio*, *relligiosus*, *repperi*, *reppuli*, *rettuli*, *rellatus*, *redduco*, &c.

Quatuor naturâ corripitur, sicuti *quotidie*, & *Porsena*: ut

Cedunt ter quătuor de cœlo corpora sancta. Ennius.

(Quod etiam apparet in quăter & quă erni) Sed Epenthesis hîc ità invaluit, ut vix usquà reperiatur legas

(8) *Vincla* pro *vincula*, sic (a) *circuli*, (b) *gubernaclum*, (c) *maniplus*, (d) *oraclum*, *periculum*, (e) *seclum*, pro

pro *circulus*, *gubernaculum*, *manipulus*, *oraculum*, *periculum*, *ſeculum*.

(a) *At primùm laxos tenui de vimine circlos.* Geor. 3.
(b) *Ipſe gubernaclo rector ſubit, ipſe magiſter.* Æn. 5.
(c) *Immundi meminere ſues jactare manipios:* Geor. 5.
& *Diſjectique duces, deſolatique manipli.* Æn. 9.
(d) *Rurſus ad oraclum Ortigiæ Phœbúmq; remenſo.* Æn. 3.
(e) *Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.* Eclog. 4.
& *Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis.* Ibid.

(9) *Virûm* pro *virorum*: Sic *deûm*, *divûm*, *ſuperium*, (a) *magnanimûm*, (b) *equûm*, (c) *ſociûm*, *Teucrûm*, *Danaûm*, & ſimilia: item (d) *currûm*: pro *curruum*, *Deorum*, *Divorum*, &c. Iſte genitivus conciſus frequentiſſimus eſt apud Poëtas.

(a) *Magnanimûm heroum, pueri innuptæq; puellæ.* Geo. 4.
(b) *Et jam tempus equûm ſpumantia ſolvere colla.* Geo. 2.
(c) *Oblitus decoriſque ſui, ſociûmque ſalutis.* Æn. 5.
(d) ——— *quæ gratia currûm.*
Amorúmque fuit vivis, quæ cura nitentes. Æn. 6.

(10) *Petii* pro *petivi*: Sic (a) *lenîbat*, (b) *veſtîbat*, (c) *polibant*, (d) *nutribat*, *dixti*, (e) *direxti*, *petiit*, (f) *percuſti*. (g) *amîſti*, *accêſtis*, *admôrunt*, *guſtâram*, *audieram*, (h) *porgite*, (i) *ſurpite*, (k) *exſtinxem*, (l) *vîxet*, (m) *juſſo*, (n) *explêſſe*, (o) *divîſſe*; pro *leniebat*, &c. *dixiſti*, *direxiſti*, *petivit*, *percuſſiſti*, *amiſiſti*, *acceſſiſtis*, *admoverunt*, *guſtaveram*, *audiveram*, *porrigite*, *ſurripite*, *exſtinxiſſem*, *vixiſſet*, *juſſero*, *explevisſe*, *diviſiſſe*.

(a) *Lenibat dictis animam, lacrymaſque ciebat,* Æn. 6.
(b) *Tum mihi prima genas veſtibat flore juventa.* Æn. 8.
(c) *Certatim ſquammis ſerpentum auroque polibant.* Ibid.
(d) *Nutribat teneris immulgens ubera labris.* Æn. 9.
Sic *Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.* Catul. l. 1. Argonautica.
Atque hinuli pellis totos operibat amantes. Propert. l. 3. de avar. Puel.
(e) *Dardanii qui Paridis direxti tela manúſque.* Æn. 6.
(f) *Gaudes ſi cam[illegible]ram percuſti forte penès te.* Horat. Sat. 1. lib. 2.

(g) *Simul*

(g) *Simul consilium cum re amisti.* Eun. Act. 2. Sc. 2.
(h) *Cingite fronde comas & pocula porgite dextris.* Æn. 8.
(i) *Quiddam magnum addens, unum me surpite morti.* Hor. Sat. 3. l. 2.
(k) *Cùm genere extinxem memet super ipsa dedissẽ.* Æn. 4.
(l) *Vixerit vitam deus, aut sua dextra dedisset.* Æn. 11.
(m) *Cætera qua jusso mecum manus inferat arma.* Ibid.
(n) —— *animúmque explesse juvabit.* Æn. 2.
(o) *Antiquo censu gnatis divisse duobus.* Hor. Sat. 3. lib 2.

(11) *Repostus* pro *repositus*: Sic. (a) *compostus*, (b) *expostus*, (c) *impostus*, (d) *suppostus*, ablatâ vocali *I*.
(a) *Troja: nunc placida compostus pace quiescit.* Æn. 1.
(b) *Obvia ventorum furtis expostaque Ponte.* Æn. 10.
(c) *Inarime Jovis imperiis imposta Typhoeo.* Æn. 9.
(d) *Hic crudelis amor tauri suppostáque furto.* Æn. 6.

Cæterorum exemplis, ut frequentioribus, supersedeo.

(12) *dicier* pro *dici*: ut
Est aliquid digito monstrari, & dicier, Hic est. Ovid.
(13) *dixtin*, (14) *curru*, pro *dixtine*, *currui*: ut
Sed tamen iidem olim curru succedere sueti. Æn. 3.
Sic *aspectu*, *venatu*, pro *aspectui*, *venatui*:
Siste gradum téque aspectu ne subtrahe nostro. Æn. 6.
Venatu invigilant pueri, sylvásque fatigant. Æn. 9.

Dativus quarti flexûs, quò faciliùs numeris Epicis inserviat, apud Poetam Apocopen semper patitur.

§. 1. ¶. 3.

Metaplasmi in Distrahendo & Contrahendo duæ sunt species, Diæresis & Synæresis.

Diæresis est, quæ unam syllabam in duas distrahit: ut (1) *pictai*, (2) *ahenẽus*, (3) *suetus*, (4) *evolüisse*, (5) *persolüenda*.

Synæresis est, quæ duas syllabas in unam contrahit: ut (6) *aurea*, (7) *aureus*, (8) *aureo* dissyl-

diſſyllaba: & (9) *abjete*, (10) *tenvia* triſyllaba.

Quædam contractè etiam ſcribuntur: aut aliquando. ut *Nil*, (11) *mî*, (12) *imperî*, *obit*, (13) *prêndo*: aut ſemper, ut *bîgæ*, *quadrigæ*, *cógo*, *tibîcen*: Ex *nihil*, *mihi*, *imperii*, *obiit* pro *obivit* per Syncopen, *prehendo*, *bijugæ*, *quadrijugæ*, *coago*, *tibiicen*.

Quædam licèt integrè ſcribantur, tamen in metri dimenſione ferè contrahuntur: ut *huic*, *cui*, *dii*, *ii*, (14:) & compoſita, *proin*, *dehinc*, *deeſt*, (15.)

Ad ¶. 3.

(1) *Picăi* pro *picæ*. Genitivos primæ hunc in modum diſtrahere Lucretio ſolenne eſt: Virgilius id fecit quatuor tantùm locis.

Aulæi in medio libabant pocula Bacccho. Æn.3.
Æthereum ſenſum atq; aurai ſimplicis ignem. Æn.6.
Exſultántque æſtu latices, furit intus aquai. Æn.7.
Dives opum, dives picăi veſtis & auri. Æn.9.

Hujus Diæreſis ratio eſt, quòd quæ Latinis eſt Diphthongus *æ*, eadem Græcis eſt *αι*: Ideóque illi hos Latinos imitati & dipthongum hanc in *ai* diſſolvunt, & *a* vocalem puram longam faciunt.

(2) *aheneus* pro *æneus*: ut

Si rectè faciesi hic murus aheneus eſto. Hor.Ep.1.l.1.

Sic *evohe* pro *evæ*,

Evohe Bacche fremens ſolum te virgine dignum. Æn.7.

Nam Græcè eſt ἰὼ, unde *Evæ*.

Evæ recenti mens trepidat metu. Carm.2.Od.19.

Si: apud Catull.

Verboſa gaudet Venus loquela. In Camer.

(3) *ſuĕtus* pro *ſuetus*: ut

Cùm mihi non tantùm feræſq; ſereq; ſuĕtæ. Hor.Sat.8.l.1.

ubi *u* liquescens fit vocalis : ut etiam in sequentibus :

Imò agite & positis quæ vox inopina suāsit. Thebaid. 1.
Hulus suā e multiplex herbæ genus. Virg. Hort.
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suëvos. Luc. lib. 2.
Impositō fratri moribunda relanguit ore. Met. 6.

(4) *evoluïsse*, (5) *persolüenda*; pro *evolvisse*, *persolvenda*.

Debuerant fusos evoluïsse suos. Ovid. Epist. 12.
Nunc quoque te salvo persoluënda mihi. Ovid. Ep. 6.

ubi *v* consona in vocalem vertitur : ut etiam in sequentibus :

Stamina non ulli dissoluënda deo. Tibull. El. 7.
Sit satis ornatas dissoluïsse comas. Tibull. El. 10
Quod zonam solvit diu ligatam. Cat. ad pas.

(6) *aurea.*

Aurea composuit sponda, mediámque locavit. Æn. 1.
Aurea percussum virga versúmque venenis. Æn. 7.
Sic, *Aut nulla inter se duo sint ex omnibus eadem.* Lucr. 2.
Cætera de genere hoc eadem ratione creantur. Luc. 4.
Una eadémq; via sanguisq; animúsque feruntur. Æn. 10.
Hac eadem rursus Lygdame curre via. Propert. lib. 3.
Sudando pinguem vitiis albúmq; nec ostrea. Horat. Sat. 2. lib. 1.
Nec tantùm Rhodope miratur & Ismarus Orphea Ecl 6
Seu le ito fucrint alvearia vimine texta. Geor. 4.
Canicies inculta jacet, stant lumina flammea. Æn. 6.

(7) *aureis.*

Atria : dependent lychni laquearibus aureis. Æn. 1.
Sic, *Libra diei somniq; pares ubi fecerit horas.* Geo. 1.
Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei. Æn. 1.
Jam validam Ilionei navem jam fortis Achatæ. Ibid.
Ferreiq, Eumenidem thalami, & discordia demens Æn. 6.
Centum æreis claudunt vectes, æternáque ferri. Ibid.
Eripere ei noli quod multò charius illi. Cat. ad Quint.

(8) *aureo.*

His finis fandi: solio tum Juppiter aureo. Æneid. 10.
Sic, *Aq. eodem pacto rebus sint omnibus a...* Lucr. 6.
Uno eodemq; igni, sic nostro Daphnis amore. Eclog. 8.

Rege

Rege ſub Euriſtheo fatis Junonis iniquæ Æneid.8.
Cùm reſluit campis, & jam ſe condidit alveo. Æn.9.
Nam per aquas quæcunq; cadunt, atq: aëra deorſum. Lu.2.
Deſpicere ipſe oculus rem ſeorſum corpore toto. Lucr.3.
Item, *Legibus his : quædam ratio diſcriminat omnia.* Lu.2.
Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia. Æn.6.
Præferimus manibus vittas, & verba precantia. Æn.7.

Niſi Hypermetrum potius hunc verſum dixeris, quia vocalis ſequitur. (9) *abjete*, (10) *tenvia.*

Ædificant, ſectâque intexunt abjete coſtas. Æneid.2.
Velleráque ut ſoliis depectunt tenvia Seres. Geor.2.

ubi *I* & *V* vocales in conſonas mutantur : ut etiam in ſequentibus.

Sardonichas, ſmaragdos, adamantes, jaſpidas uno. Mar l.5.Ep.11.
Hærent parjetibus ſcalæ, poſteſq, ſub ipſos. Æneid.2.
Cuſtodes ſufferre valent, labat arjete crebro. Ibid.
Arjetat in portas & duros obice poſtes. Æneid.11.
Flaviorum rex Eridamus, campóſq; per omnes. Geor.1.
Item, *Propterea quia corpus aquæ naturaq: tenvis.* Lu.2.
Tenvis ubi argilla, & dumoſis calculus arvis. Geor.2.
Genva labant, gelido concrevit frigore ſanguis. Æn.12.

Lectorem obiter admonitum velim, fingi hic à quibuſdam, Synæreſin hanc non animadvertentibus, contra hujus metri legem pro pede Dactylico, aliàs Proceleuſmaticum, ſive dupl icem Pyrrichium, aliàs Anapæſtum: & ſi Lucretiana illa,

Propterea quia corpus aquæ naturáque tenvis. Lib.2.
Mittunt, effigies quoque debent mittere tenves. Lib.4.

& ſimilia, fortè occurriſſent, dubium non eſt ſtatuiſſe etiam eos, pro Spondæo Trochæum, ſeu Anapæſtum poni.

Apud Lucretium, per Synæreſin, *u* vocalis liqueſcit; quemadmodum per Diæreſin *u* liqueſcens fit vocalis.

Et ſimili ratione animalia ſuapte vagari. Lib.1.
Lanigeræ pecudes & equorum duellica proles. Lib.2.

Et apud Lactantium in Phœnice.

Duodecies undis irrigat omne nemus.

(11) *mi:* ut

In tempore ipſo mî advenis. And. A&. 5. Sc. 6.

(12) *imperi:* ut

Imperî rebus? prece qua fatigent. Hor. Od. 2. lib. 1.

Item *Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.* Ecl. 1.

Hic ſimul accepit patrimoni mille talenta. Hor. Sat. 3. l. 2.

Et Ibidem *Albucî, Perillî, Staberî, Arrî Canusî, Menenî.*

(13) *prendo:* ut

Deprêndi miſerum eſt. Sat. 2. lib. 1.

(14) Sic *cuivis*, & cætera compoſita à *cui, diis, iis, iidem, iiſdem.*

(15) Sic etiam *Proinde, deinde, deinceps, deeram, deero, deeſſe, &c.*

Rejicio etiam & *ejicio* interdum contrahuntur: ut

Tytere paſcentes à flumine rejice capellas. Ecl. 3.

Tela manu rejiciq; canes in vulnus hiantes. Stat. Th. 4.

Ejicit en mſulei recta regione viáque. Lucret. 4.

Scande *reice, reicit, eicit.* Abjectâ enim J conſonâ per Syncopen (quod aliis compoſitis à Jacio uſu venit) ut

Turpe putas abici quia ſit miſerandus amicus. Pont. lib. 2. El. 3.

Nil adicit penſo Lacheſis fuſoque ſororum. Mar. l. 4. Ep. 54.

Cur obicis magno tumulum, manéſq; vagantes. Lucan. l. 7.

Ipſe manu ſubicit gladios ac tela miniſtrat. Lucan. l. 7.) e& *i* contrahuntur in *ei:*

Synæreſis exempla vide plura in tertia Regula de omnibus.

§. 1. ¶. 4.

Metaplaſmi in immutando ſpecies ſunt quinque: Tmeſis, Metatheſis, Antitheſis, Diaſtole, Syſtole.

Tmeſis eſt, quæ compoſitæ vocis partes, alterius

terius vocis interpoſitione, diſſecat: ut (1) *qui te cunque*, (2) *inque ſalutatus.*

Metatheſis eſt, quæ literam eandem tranſponit, ut (3) *Piſtris* (4) *Tymbre.*

Antitheſis eſt, quæ unam pro alia ponit: ut (5) *olli* (6) *vortunt*, (7) *optumè.*

Diaſtole eſt, quæ brevem ſyllabam producit: ut (8) *gratiā*, (9) *cōr.*

Syſtole eſt, quæ longam corripit: ut (10) *tulĕrunt*, (11) *palŭs.*

Ad ¶. 4.

(1) *qui te cunque*: ut

Qui te cunque manent iſto certamine caſus. Æn. 12
pro *quicunque te.*

Sic, *Quæ me cunque vocant terræ.* Æn. 1.

Qua ſe cunq; furens medio tulit agmine virgo. Æn. 11.

Quo res cunque cadent. Æn. 12.

Præterea tellus, quæ corpora cunq; alit, auget. Lucr. l. 1.

Terráq, inumbratur qua nimbi cunq; feruntur. Lucret. lib. 5.

Quæ collata foris, & commoda cunq; venirent. Idem. l. 6.

(2) *inque ſalutatus*: ut

Hanc ego nunc ignoram hujus quodcunque pericli eſt,
Inq; ſalutatam linquo. Æneid 9. pro *inſalutatamque.*

Sic, *Ille pedem refrens, & inutilis ínque ligatus.*
Æn. 10. pro *illigatúſque.*

Nunc ego namque ſuper tibi erunt qui dicere laudes.
Eclog. 6. pro *ſupererunt.*

Talis Hyperboreo ſeptem ſubjecta trioni. Georg 3.
pro *ſeptentrioni.*

Et multo nebulæ circum dea fudit amictu. Æn. 1.
pro *circumfudit.*

Hac celebr[illegible]nus ſancto certamina patri. Æn. 5.
pro *hactenus.*

Eripuit nobis medióque sub æquore mersit. Ibid.
pro *submersit.*
Impastus seu plena lea per ovilia turbans. Æn. 9.
pro *perturbans.*
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter
Trajicit. —— Æn. 10. pro *præterfugientem.*
(3) *pistris* pro *pristis* Πέλαγος apud Aristotelem Hist. anim. lib 6. cap. 12. bellua est marina cetacei generis: in quo sensu p istis legitur apud Poëtam, Æn. 3. ubi de Scylla loquitur.
Prima hominis facies, & pulchra pectore virgo
Pube tenus: postrema immani corpore pristis.
Et Æn. id. 10. ubi de Tritone.
Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus.
Hujus piscis nomen Mnesthei navis Æneid. 5. sortita est: ubi Sergesti Centaurus dicitur, Gyæ Chimæra, & Cloanthi Scylla.
—— *Post hos æquo discrimine Pristis,*
Centaurúsque locum tendunt superare priorem.
Et paulò post alludens ad nominis etymon, (dicitur enim à Πρίω quod est secare) ait Poëta,
Sic Mnesthæus, sic ipsa fuga secat æquora Pristis.
unde satis liquet Pristis utrobique rite scribi: pro qua voce nonnulli per Metathesin reponunt Pistris.
(4) *Tymbre* pro *Tymber. Tymbre* habetur. Æneid. 10.
Nam tibi Tymbre caput Evandrius abstulit ensis.
Ponitur autem per Metathesin pro *Tymber*, quia rectus item est *Tymber* non *Tymbrus*: ut ibidem legitur.
Daucia Laridæ Tymbérque similima proles.
(5) *Olli* pro *illi*: ut
Olli subridens hominum sator atque deorum. Æn. 1.
(6) *vortunt* pro *vertunt*: ut
Dii vortunt bene. Eun. Act. 2. Sc. 3.
(7) *Optumè* pro *optimè*: ut
Optumè mihi te offers. And. Act. 4. Sc. 2.
Sic volgus. A. 3 4 *vostrum*. 4. 4. *Postuma*, *maxumè*. E. 1. 2.

(8) *Pro-*

(8) *graviā*: ut Æneid. 3.
Dona dehinc auro graviā sectóque elephanto.
(9) *cōr*: ut Herod. 21.
Molle meum levibus cōr est violabile telis.
Sic Manil. 5.
Incubuit Pontus, timuit naufrāgia tellus.
Quem Mantuanus sequutus est sext. Fast.
Perdidit, & fracto passa est naufrāgia clave.
Idem Mant. Eclog 6.
Cum muliēre marem sociali fœdere iungens.
Penultimam enim in *muliere* ritè corripiendam esse, ex Terentio satis apparet: ut And. Act. 1. Sc. 1.
Effertus: imus: interea inter muliĕres. & Scen. 4.
Nec satis digna cui committas primo partu muliĕrem.
Nam etsi in hoc metro, cæteri pedes sint incerti, certè ultimus est Jambus. Etiam ex Plauto: ut Asin. Act. Scen. 1.
Quam amabam abduxit ab lenone muliĕrem. & Trucul. Act. 1. Scen. 4.
Prò dii immortales? non amantis muliĕris. & alibi passim: adeóque ex Mart lib. 1. Epig. 97.
Amethistinásque muliĕrum vocat vestes.
Itidem, *Dēcidere assiduo quoniam fluere omnia constat.* Lucret 5.
In quem rēcidimus quicquid mortale creamur Met 10.
Diastole plerumq; repetitur in ultima dictionis syllaba secundum, tertium, quartum, aut quintum pedem Heroici carminis inchoante: ut
Pectoribūs inhians spirantia consulit exta. Æneid. 4.
Luctus ubique, pavor, & plurima mortis imago. Æn. 2.
Ostentans artem paritēr, arcúmque sonantem. Æn. 5.
Sustinet, ac natæ Turníque canīt Hymenæos. Æn. 7.
Liminaquē laurúsque dei totùsque moveri. Æn. 3.
Que, ante dictionem duabus inchoatam consonantibus, sæpius quidem producitur: sed illic positionem potiùs locum habere dixerim: vide primam regulam generalem de omnibus.
10) *tulerunt*: ut

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes. Georg. 4.
Sic *Occiderunt magni qui gentibus imperitarunt.* Lucret. lib. 3.
Miſcuerúntque herbas, & non innoxia verba. Georg. 3.
Obſtupui, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit. Æneid. 2.
Gutturáque imbuerunt, infantia lacte canino. In Ibim.
Quid tibi profuerunt, Circe. Perſïdes herbæ? De remed. lib. 2.
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenæ. Sat. 10. lib. 1.
Dii tibi divitias dederunt artémque fruendi. Hor. Ep. 4. lib. 1.
(11) *Palăm*: ut
Regis opus ſterilïſque diu palus aptáque remis. Horat. Art.
Sic, *Theſea prenſuras ſemisŏpita manus.* Heroid. 10.
Vade, vale, cavĕ ne titubes, mandatáque frangas. Idem. Ep. 13. lib. 1.
Tu cavĕ defendas, quamvis mordebere dictis. Triſt. 1. El. 1.
Niſi mavis hic eſſe Imperativum antiqui *cavo*: nam aliâs producitur: ut
Ergo cave liber, & timida circumſpice mente. Ibid.
Si quid aget majus, differ tua cœpta, cavéque. Pont. lib. 3. El. 1.
Supra in *ſmarăgdos* Poſitio corripitur.

CAP. 14. §. 2.

De quantitate Syllabarum.

PEs eſt Dimenſio certâ ſyllabarum quantitate definita.

Quantitas eſt quâ ſyllaba brevis, aut longa, aut communis dicitur.

Syllaba brevis unius eſt tempo[ris]: &, ſi opus

opus eſt, notatur in vocali hoc apice.

Longa duorum eſt: &, ſi opus eſt, notatur in vocali hoc apice.

Communis modò brevis eſt, modò longa.

Quantitas cognoſcitur regulis, vel exemplis.

Regulæ ſunt generales, vel ſpeciales.

§. 1. ¶. 1.

GENERALES DE OMNIBUS SYLLABIS TRES.

Poſitio.

Prima regula.

1. Vocalis ante duas Conſonantes, quarum altera ſaltem in eadem dictione cum vocali eſt, producitur: ut Met. 7.

Max ubi pollicita eſt quò ſit fiducia major.

Hic præter ſyllabas *pol*, *eſt*, & *ſit*; *mox* etiam *ma* poſitione longæ ſunt. Nam duplex poteſtatem habet duarum conſonantium, & I conſona pro duplici habetur: ſed vide ſecundam regulam ſpecialem de media ſyllaba.

¶ Etiam vocalis brevis dictionem finiens ante duas conſonantes nonnunquam producitur: ut

Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hibam. Lucr. 4.
Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos. Juv. Sat. 8.
Nil opus eſt morte pro me, ſed amore fideque. Triſt. 5. lib. 15.
Officii cauſa pluribus eſſe dati. Pont. 1. l. 8.
Nulla fugæ cautio, nulla ſpes, omnia muta. Catu Argon.
Pro ſegete ſpinas, pro grege ferre dapem. Tib. lib. 1. Eleg 5.

Enclitica Conjunctio *que* sæpissime : ut
Terrásquē, tractúsq; maris, cœlúmque profundum. Ecl.4.
Lappæquē, tribulíque, intérque nitentia culta. Geor.1.
Tribuláquē, trabeæque, & iniquo pondere rastri. Ibid.
Brontésquĕ, Steropésque, & nudus membra Pyrachmon. Æneid.10.
Alchandrúmque, Haliúmque, Nomanáque, Prytanimque. Æneid.9.
Cœranon, Iphitidémque, Alastorâquē, Chroniáq; Met.13.

Hoc autem fit more Græcorum, qui vocalem brevem tam in fine dictionis, quàm alibi ante duas consonantes producere solent: ut

Κίλλαν τὲ ζαθέην Τενέδοιότε ἶφι ἀνάσσεις. Iliad. α
Δεινὴ δὲ κλάγγη γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο. Ibid
Μάντι κακῶν οὐ πόποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας. Ibid.
Ναὶ μὰ τόδε σκήπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους. Ibid.

Excipe.

Vocalis naturâ brevis ante mutam cum liquidâ *L* vel *R* in eadem dictione communis est: ut *patris, volucris, Atlas, locuples.*

Nisi in compositis, ubi prior vox in mutam desinit, posterior à liquida inchoatur: illic enim, tanquam voces essent separatæ, fit positio; ut *ābluo obruo.*

Etiam liquida *N* post quasdam consonas in Græcis dictionibus, & *M* alicubi brevem vocalem precedentem ancipitem facit: ut
Ad mandata Prŏgnes, & agit sua vota sub illis Met.6.

Hanc vocem Petronius Arbiter (quem Quintilianus & Macrobius citant) etiam corripuit.
Atque urbana Prŏgne quæ circum gramine fusa.
O mutis quoque piscibus
Donaturi Cycni, si libeat, sonum. Carm.4. Od.3.
Carmen est Glyconium cum Asclepiadeo alternatum.
Quid referis cornix non ideè ante cyenum. Aus. Epist.20.

Qua

Quæ capta eſt alio nupta Licæna Cycno. Mart.9. Ep gr.106.
Biſtonis habitata viris, Polymneſtoris illic. Met.13.
Vadit ad artificem diræ Polymneſtora cædis. Ibid.
Ecce inter primos Therămnæo à ſanguine clauſi. Sil. lib.8.
Delectat Marium ſi pernicioſus Ichneumon. Mar.17. Ep.86.
Movit Ajacem Telamone natum.
Forma captivæ dominum Tecmeſſe. Carm.2.Od.4.

Diphthongus.

Secunda regula de omn.

II. Diphtongus longa eſt: ut *hei*, *rēuter*, *āulea*.

Sic *Maia Cœus*, &c.

Mæotis tamen Triſt. 3. El. 12. propter ſequentem vocalem, primam corripit.

Longior antiquis viſa Mæotis hyems,

Cùm aliàs producatur: ut

Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora. Pont.3. El.3.
Quaque fretum torrens Mæotidis egerit undas. Luc.3.

Diphthongus in fine dictionis ſequente vocali interdum corripitur. Vid. Synalœphan omiſſam.

Præpoſitio *præ* in compoſitione ſemper brevis eſt ſequente vocali: ſed de ea vide primam regulam ſpecialem de prima.

Synæreſis.

Tertia regula de omn.

III. Synæreſis ſive Craſis * ſyllabam producit: ut *dī*, *cógo*, *obît*, *dêro*, & ſimilia.

Magnus civis obit, & formidatus Othoni. Juv. Sat. 6.
Sic *Dum crepidant it haſta Tago per tempus utrumque.* Æneid. 9.
Author abit operis, ſed tamen exſtat opus. Ovid. ad Liv.
Sceptra Palatini, ſedémque petit Euandri. Æneid. 6.

Ita enim legendum eſt: non ut vulgò habetur, *petiviti* quia diphthongus *Eu* neceſſariò producitur.

Difficiles aditus primos habet: haud mihi deero. Serm. 1. Sat. 9.
Verùm ubi vehementi magis eſt commota metu mens. Lucret. lib. 3.
Vehemens & liquidus puróque ſimillimus amni. Hor. Ep. 2. lib 2.
Per terras, amnes, atque oppida cooperuiſſe. Lucr. l. 5.
Aut nulla inter ſe duo ſint ex omnibus eadem. Luc. lib. 2.

* Vocalium ſcilicet: nam *i* & *u* in conſonas mutatæ non mutant quantitatem: ut in *abjete, tenvia* triſyllabis. Vide 9. & 10. in notis ad §. 1. ¶. 3.

§. 2. ¶. 2

REGULÆ GENERALES DE PRIMA ET MEDIA TRES.

Vocalis ante Vocalem.

Prima Regula.

I. Vocalis ante vocalem brevis eſt ut *Dĕus.*

Excipe.

Primò *E* inter duo *I* in genitivis & dativis quintæ declinationis producitur: ut *faciei.* (*a*)

2. Penultima genitivorum ſecundam pronominis formam habentium communis eſt: ut

ut *unīus illīus*. Sed in *alterĭus* ſemper eſt brevis, in *alīus* ſemper longa.

3. Prima in *fio* longa eſt, niſi ſequantur *e* & *r*; ut *fĭerem*.

4. Vocativi propriorum, & genitivi primæ (*b*) diſtracti, penultimam producunt: ut *Caî*, *Pompeî*, *aulaî*, *aquaî*.

5. *Ohe* priorem ſyllabam habet (*c*) communem, *Eheu* verò longam.

6. Vocalis ante alteram in Græcis dictionibus (*d*) ſubinde longa fit: ut (1) *Machāon*, *Pandion*, *Brisēis*. *Latōis*, *Nerēius*, *Minōîus*, & *Minōus*: (2) *Ilionēa*, *Neronēus*, (3) *Thalīa*, *magīa*. *Medēa*, *cithorēa*, & ſimilia.

Sic *aēr*, *Dīphobe*, *Pīerides*, *herōis*, *Enyo*, (4)

Sic (5) *platea*, *eborea*, & *conopeum* *E* purum variant.

(*a*) Lucretius illud *E* producit *I* non præcedente: ut

Tempore inane poteſt vacuum ſubſiſtere reī. Lib. 2.
Nec jacere inhumanus via quâ munita fidēi. Lib. 3.

(*b*) Vide Diæreſin.

(*c*) *Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle.* Mal. l. 4. ep. ult.

(*d*) Quædam enim voces Græcæ vocalem puram producunt, quædam corripiunt, quædam variant, ut in regulis & exemplis ſubnotatis liquet.

(1) Maſculina in *aon* & *ion*, patronymica fœminina in *ēis* & *ōis*, ac poſſeſſiva in *ēius*, *ōius*, & *ōus*, primas terminationum vocales producunt: ut

Machāon, *Amythāon*, *Didymāon*, *Lycāon*, &c.

Amythīon, *Arīon*, *Hiperīon*, *Ixīon*, *Methīon*, *Pandion*, &c.

Brisēis, *Cocmēis*, *Chryſēis*, *Echinēis*, *Elēis*, &c.

Latōis,

Latōis, Deōis, Minŏis, &c.
Nerēius, Priamēius, Semelēius, Elegēius, &c.
Menōius, Achelōius, Trōius &c.
Minōis, Argōiis, Eōiis, Herōiis, Inōiis, Lesbōiis, Sarōiis, &c.

Excipe in *aon* & *ion* creſcentia per *o* longum: ut *Thăon, Deucalion*, &c.

In *eis Nereïs*, quæ penultimam etiam corripit: ut Met. 13.

Diſcedant, placidiſque natant Nerēides undis. At Æneid. 5.
Nerĕidum, Phoreíque chorus, Panopeáque virgo. & Mart. l. 4. E. 57.
Nymphārum pariter Nerĕidúmque domus.
Item Carm. lib. 3. Od. 8.
Neptunum & virides Nerĕidum comas.

(2) Accuſativi in *ea* à nominativis in *eus*, & poſſeſſiva in *elis* E purum variant, modò communem, modo Ionicam dialectum ſequentes: ut

Orphĕa, Salmonĕa, Ilionēa Idomenĕa, Capharēus.
Orpheáque in medio poſuit ſylváſque ſequentes. Eclog. 8.
Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas. Æn. 6
Ilionea petit dextra, leváque Screſtum. Æn 1.
Idomenea ducem deſertáque littora Cretæ. Æn. 6.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes. Propert. lib. 3. Et
Graia Capharea currere puppis aqua. Triſt. 5. El. 8.

Sed hîc quæ producuntur, ſæpe ſcribuntur per diphthongum *æ*: ut

Quæſtor ab Icario Cynarææ littore Cypri. Lucan. l. 8.

Dicitur & *Cynareius*.

Coryciæque coma, Cynareiáque germina, & altis.
Stat. 5 ſylv.

& *Cynarēius*.

Verùm aut Perſephone Cynarēius ibis Adonis. Auſ. Epi. 33.

Hujus varietatis ratio eſt, quòd poſſeſſiva Græca in ΟΣ Ionice terminantur in ΕΙΟΣ: unde Latini, ad Græ-

Græcorum imitationem, quædam per *eius*, *æus*, *ēüs*, aut *īüs* penultimâ longâ ab εως terminatione communi; (vid. 3. reg.) quædam per *ēüs* penultimâ brevi ab εως terminatione Ionicâ ſcribunt.

Præterea Iones terminationem iſtam poëticè vertunt in in νιος undè Latini quædam etiam per *a us* antepenultimâ productâ: de quibus in prima regula.

(3) *I* & *E* vocales ex diphthongo ει longæ ſunt: ut *Darius*, *Sperēbius*, *Clio*, *Phthīa*, *energīa*, *elegīs*, *Ironīa*, *magīa*: *Ænēas*, *Epēus*, *Lagēus*, *cichorēa*, & *um*, *centaurēa* & *um*, *panacēa*, *Lycīum* vel *Lycēum*: *Chīus* adjectivum,

Conſulis & Chīo ſolvite vincla cado. Tibul. 2. l. 1.

Hujus generis ſunt pleraque fœminarum nomina in *ia* & *ea* ut *Thalia*, *Amphigenīa*, *Deïdamīa*, *Iphigenīa*, *Laodamīa*; *Caſſiopēa*, *Cytherēa*, *Dïonēa*, *Galatēa*, *Medēa*, *Panopēa*.

¶ Notandum hic eſt Græcam diphthongum ει, Latine tam per *ei* & *æ* diphthongum, quàm *i* aut *e* longum ſcribi: ut *Calliopeia Panopæa*. Vid. reg. 2.

Chiragra verò illud *I*, quamvis non parum, tantùm corripit: ut

Nodoſa corpus nobis prohibere chĭragra. Horat. Ep. 1.
Sed nil patrono porrigit, hæc chĭragra eſt. Mar. l. 1. Ep. 99.

(4) Denique vocales longæ & breves ante vocalem manent immutatæ. Excipiuntur item *a* & *i*: modò enim longæ ſunt, modò breves, eam in ſuis vocibus quantitatem obtinentes, quæ numeris *Heroicis* aptiſſima eſſet.

At Maſculina in *ius*, fœminina in *ia*, & neutra in *ium* unà cum poſſeſſivis in *ius* I parum (niſi veniat ex diphthongo ει) corripiunt: ut *Parthenius*, *Chios* ſubſt.

Roma laudatur Samos, & Chĭos, & Rhodus abſens. Hor. Ep. 11. l. 1.

Academĭa, *Acedia*, *Arcadia*, *harmonia*, *Mariæ naumachia*, *ſophia*, *ſymphonia*, *Gymnaſium*, *Elyſius*, *Nereĭus*.

Nam

Nam multùm harmoniæ Veneris differre videntur. Lucret. Lib.4.
Exultat Maria cùm prima affamina ſenſit. Juven.l.1.
Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis. Mar. lib 1.Ep 6.
Florentis virides ſophiæ complectitur umbras. Virg. Ciris.
Ut græas inter menſas ſymphonia diſcors. Horat.Art.

Aliquando tamen, quò nativus accentus ſervetur, producunt: ut

Angelus intactæ cecinit properata Mariæ. Sedul.l.2.
Sortiti æthereæ coluerunt dogma ſophiæ. Prud.Symm.

Y Verò ubique corripitur: ut *Hyades, Halcyones, Lybia, caryota:* niſi in *Enyo, Thyas, Cyaneæ.*

(5) *Ut mediam facias navali ponte platēam.* Auſon. urb.7.
Diſpoſitum & latas nomen ſervare platēas. Idem urb.9.
Iſtos qui in platĕa modò huc modò illuc. Cat. ad Aurel.
Puræ ſunt platĕæ nihil ut meditantibus obſtet. Hor. ep.2.lib.2.
Ad numerum motis pedibus duxere chorēas. Met.14.
Pars pedibus plaudunt chorĕas, & carmina dicunt. Æneid.6
Ut teſtudineo tibi, Lentule, conopĕa. Ju.Sat.6.
Intérque ſigna turpe militaria.
Sol aſpicit conopĕa. Epod. Od. 9.

Derivatio.

Secunda regula de pr. & med.

II. Derivativa Primitivorum quantitatem ſequuntur: ut *ănĭmus ă, ănĭmoſus, ănĭmare.*

Ex-

Excipe.

1. Pauca à brevibus deducta primam producunt:

Vox vōcis à *vŏco.*
Lex lēgis à *lĕgo.*
Rex rēgis & *rēgula* à *rĕgo.*
Tēgula à *tĕgo.*
Sēdes à *sĕdeo.*
Jūnior à *jŭvenis.*
Mācero à *Măcer.*
Stīpendium à *stĭpe.*
Stāturus à *stătum.*
Lāterna à *lăteo.*

Regina etiam primam producit: ſed deducitur à *rege*, ut *heroina* ab *herôe.*

Staturus & compoſita quæ aſſervant: ut *conſtāturus, proſtāturus, obſtaturus, exſtāturus*, ipſum *A* producunt.

Hinc acies ſtatura ducum eſt, Cæſarne ſenatus. Lucan. lib. 2.

Quæ ſic orſa prior, ſpes nè obſtatura Relaſgis. Thebaid. 7.

Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum. Mart. 10. Ep. 41.

Ergo ubi concipiunt quantis ſic cladibus urbi.
Conſtatura fides ſuperum. Lucan. lib. 2.

Quæ *A* in *I* mutant, retinent quantitatem ſupini: ut *præſtĭturus, reſtĭturus, inſtĭturus.* Lucr. l. 2.

2. Pauca à longis deducta primam corripiunt.

Dux dŭcis à *dūco.*
Lŭcax, & in [a] *dĭcus* deſinentia à *dīco.*
Fĭdes à *fīdo.*
Sŏpor à *sōpio.*
Nŏto, as, à *nōtu.*
Năto, as, à *nātu.*
Văricoſus à *vārix.*
ŏdium ab *ōdi.*
Lŭcerna á *lūceo.*

[a] *Ut maledĭcus, causĭdicus, &c.*

Deſideativa penultimam corripiunt à participiis longis: ut *Esŭrit ab Esūrus.* Sic *parturio, nupturio, cœnaturio,*

naturio, domiturio, mictturio, scalpturio, &c.

Motor, motio, motus, mobilis, primâ longâ, & *stator statio, status, stabilis*, primâ brevi, sequuntur quantitatem supinorum unde derivantur. Quare non sunt excipienda, ut quidam docent, quòd scilicet prima in *movere* brevis est, in *stare* longa.

¶ Crebrò fit ut, literâ aliquâ mutatâ, mutetur & quantitas: veluti *fomes* & *fomentum*, primâ longâ, à *foveo* brevi: sic *jucundus* à *juvo*, *humanus* ab *homo*: Sed *posui, genui, fragor*, & *fragilis*, brevia sunt; à *pono, gigno, frango*, longis derivata.

Compositio.

Tertia regula de pr. & med.

III. Composita simplicium quantitatem sequuntur: ut *ănĭmare. exănĭmare.*

Proinde quanta sit prima syllaba vocis simplicis disyllabæ, per accentum in composita ostenditur: ut *impŭrus pūrus, versĭcŏlor cŏlor.*

Excipe.

1. Primam simplicium longam corripiunt *innŭba, pronŭba* à *nubo*; *dejĕro, pejĕro* à *juro* (a) *Connubium* commune reperitur.

2. Primam simplicium brevem producunt (b) *amīcus* ab *ĭcus* ad differentiam nominis: *īdem* masculinum ab *ĭs*: nam *ĭdem* neutrum priorem corripit.

3. *Utĭque sĭquidem, vidĕsis*, & *valĕdico*, ultimam simplicium longam corripiunt.

Nec superare queunt motus utique exitiales. Lucret. 2.
Obtundunt siquidem curarum pondera sensus. Gal. El. 5.
Auriculas sĭ videsis ne majorem tibi forte. Pers. Sat. I.

II.

Idque quod ignoti faciunt valedicere saltem. Trist.1. El.7.

4. *Quandōque, ubīque, & * ibīdem*, ultimam simplicium communem tantùm producunt *quandŏquidem* & *ubĭvis* corripiunt: at *ubicunque* ancipitem simplicis quantitatem servat: ut

Clamat io matres, audite ubĭcunqueque Latinæ. Æn.7.
Servor ubīcunque est, uni mea gaudia servo. Met.7.

* *Ibidem* apud veteres, Lucretium, Virgilium, &c. tantùm producitur: Mamertus tamen ex natura simplicis corripuit.

Cognosces ibidem, nè pergas tradere fatis.

(a) Adde *cognĭtum* & *agnĭtum* à *nōtum*.

(b) *Jussit & ambitæ circundare littora terræ.* Met.1.
Cumque suo demens expellitur ambitus auro. Claucoss.Ho.

Appendix ad §. 2. ¶. 2.

TRIBUS HISCE REGULIS SEQUENTES DUAS ANNUMERES.

Vocales ante Q.

Quarta regula de pr. & med.

IV. Vocalis ante Q, nisi per aliam regulam producatur, brevis est: ut *nĕque, uĕqueo lĭqueo*, &c.

At *liquor* verbum producitur. Unde, *liquens, liquidus* & *liquor* nomen, ab utrovis derivata, variantur: ut

—— *Aut cùm liquentia mella.* Æneid.1.
Principio cœlum, & terras, campósq; lĭquentes. Æn.6.
Crassaque conveniunt lĭquidis, & liquida crassis. Lucret. lib.4.
Pondus uti saxis, calor ignibus, liquor aquaï. Idem.l.1.
—— *gēlidas potura lĭquores.* Met 6.

Li-

Liquesco etiam apud Ovidium producitur: ut
Sic mea perpetuis liquescunt pectora curis.
Sed *liquo*, *liquefacio*, & *liquefio* sunt regularia.

Nam *æquus iniquus antiquus obliquus*, *quaque nēquaquam*, *utrōque aliōqui*, & composita à *ne* adv. prohibendi, ut *nēquis*, *nēquando*, *nĕquam*, *nēquitia*, *nēquaquam*, *nēquicquam*, & similia, per alias regulas produci liquet.

Sequana & *Liquetius* [fluvii] producuntur: sed illud fieri potest, quia Propria. Vide V. regulam.

Nequĕo componi dicitur non à *ne*, sed à *nec*, ut item reliqua *ne* corripientia, *nĕfas*, *nĕfastus*, *nĕfarius*, *nĕfandus*, &c.

Variatio Propriorum.

Quinta regula de pr. & med.

V. Primam & mediam in nominibus propriis, nisi natura syllabæ repugnet, poëtæ sæpiùs variant; eam nimirum quantitatem, quæ numeris suis facilinè quadraret, usurpantes: ut Claud. de raptu Proserp. lib. 3.

ăcin.
Lucus erat prope flumen Acin quod candida præfert.
ācin. Fast. l. 4.
Præterit & ripas herbifer Aci tuas.
Batāvus. Sil. l. 3.
Jam puer auricomis performidate Batavo.
Bitāvus. Luc. l. 1.
Vangiones, Bataviquĕ truces, quos æro recurvo.
Bīthyni. Clau. Eut. 2.
Proxima Bithynos solem quæ cernit, Jonas.
Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur. Ibid.
Nè Cibyratica, nè Bithyna negotia perdas. Hor. Ep. 6. l. 1
Bĭthyni. Catull. ad Sirmion.
Vix mi ipse credens Thyniam Bithynósque.
Quanquam & Cappadoces faciant equitésque Bithyni.
Ju. Sat. 7.

Būsīris

Būsīris. Met. 9.
Buſirim domuit ſævóque alimenta parenti.
Luctibus immites cujus Buſiridis aras. Thebaid. 12.
Bŭsĭris. Ibid.
Non trucibus monſtris Buſirim infandúmque dediſti.
Cācus. Faſt. 1.
Cacus Aventinæ timor atque infamia ſylvæ.
Căcus. Met. 9.
Hic Cacus horrendum Tyberino in gurgite monſtrum.
Cybĕle. Æn. 3.
Huic mater cultrix Cybele, Corybantiáque æra.
Cybēle. Æn. 10.
Occurrit comitum Nymphæ quas alma Cybele.
Dĭana. Æn. 3.
Conſtiterant, ſylva alta Jovis lucúſque Dianæ.
Dīana. Æn. 1.
Exercet Diana choros, quam mille ſequuntæ.
Dianam teneræ dicite virgines, Carm. l. 1. Od. 21.
Fidenæ. Horat. Epiſt. 11. l. 1.
Scis Lebedus quam ſit Gabiis deſertior atque
Fidenis vicus.
Fidenæ. Æn. 6.
Hi tibi Nomentum Gabios urbémque Fidenam.
Grādivus. Æn. 3.
Gradivúmque patrem Geticis qui præſidet arvis.
Urbis, & invicti genitor Gradive Quirini. Mart. 15.
Grădivus. Met. 6.
Et genus à magno ducentem ſortè Gradivo.
Gyges. Æn. 9.
Principio Phalarim, & ſucciſo poplite Gygem.
Gyges. Triſt. 4. l. 6.
Centimanúmque Gygem, ſemibovémque virum.
Hymen. Heroid. 6.
At mihi nec Juno, nec Hymen, ſed triſtis Erynnis.
Hymen. Catul. Car. nup.
Hymen, Hymenæe, Hymenades ô Hymenæe.
Lycas. Æn. 10.
Inde Lycam ferit, exſectum jam matre peremptæ

Lyc as

Lycæ. Ibid.

Protinus Antheum & Lycam prima agmina Turni.

Mæotis. Lucan. 3.

Quaque fretum torrens Mæotidis egerit undas.

Reſponſis horrent divum & Mæotica tellus. Æn. 6.

Mæotis. Triſt. 3. Eleg. 12.

Longior antiquis viſa Mæotis hyems.

Milĕa. Æn. 5.

Ionióque mari, Maleæque ſequacibus undis.

Malēæ. Eleg. 2. 16.

Nec timeam veſtros curva Malea ſinus.

Orion Orionis, Græcè ὠρίων ὠρίωνος, primam & tertiam naturaliter producunt, poetæ tamen communes faciunt.

Oriōnis. Lucan. 9.

Teſte tulit cælo vitii decus Orionis.

Armatúmque auro circumſpicit Oriona. Æn. 3.

ōriŏnis. Met. 13.

Diverſásque urbes, nitidúmque Orionis enſem.

ŏriŏnis. Ibidem.

Ecce facit mediis natas ab Orione Thebis.

ōriōn Æn. 1.

Sævus ubi Orion hybernis conditur undis.

ŏrion Æn. 1.

Cum ſubitò aſſurgens fluctu nimboſus Orion.

Pāchinus Æn. 3.

Præſtat Trimacrii metas luſtrare Pachini.

Læta Pachine tibi Lilybæo crura premuntur. Met. 5.

Pāchinus. Met. 13.

E quibus imbriferos verſa eſt Pachinus ad Auſtros.

Pēlion. Met 1.

Fulmine & excuſſit ſubjectum Pelion Oſſæ.

Pēlion. Sil. l. 3.

Oſſáque cum Pelio cúmque Hæmo ceſſerit Othrys.

Porsĕna. Epod. Od. 16.

Minacis aut Etruſca Porſena manus.

Hanc ſpectare manum Porſena non patuit. Mart. l. 1. Epig. 22.

For-

Porsēnna. Æn.8.
Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat.
Prōſerpina. Geor.1.
Nec repetita ſequi curat Proſerpina matrem.
Prŏſerpino. Sen Herc.fur.Act.2.
Vidiſti Siculæ regna Proſerpinæ.
Pyrene. Tib.1.
Non ſanè eſt tibi partus honos per bella, Pyrene.
Pyrenæus. Luc.14.
Jámque Pyrenæe quas nunquam ſolvere Titan.
Pyrene.
Pyrene celſa nimboſi verticis arce
Diviſos Celtis alte proſpectat Iberos. Sil.lib.3.
Pyrenæus. Claud.bel.Get.
Transfreta, trans Gallo, Pyrenæúmque cucurrit.
Rhēa. Æn.7.
Collis Aventini ſylva quem Rhea Sacerdos.
Rhĕa. Faſt.4.
Sæpe Rhea quæſta eſt toties facunda nec unquam.
Rhŏdus Met.7.
Phœbeámque Rhodon, & Jaliſios Telchinas.
Rhōdus. Luc.
Rhodus Carpathium in pelagus ſe inclinat apertum.
Serāpin. Mart.l.9.Epig.30.
Vincebant nec quæ turba Serapin amat.
Serăpin. Iden.
Iſæum Serapin, Nilus veneratur Oſirim.
Sīchæus. Æn.1.
Huic conjux Sichæus erat ditiſſimus agri.
Sichæus. Ibid.
Quos inter medius venit furor ille Sichæus.
Sidōnius. Æn.
Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido.
Sidŏnius. Æn.4.
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Tyros. Æneid.4.
Carthago, erat antiqua Tyros, ſtámmæque furentes.
Et Phœniſſa Tyros quarum nunc inſula nulla eſt. Met.15.

Tyros

Tyros Met. 3.
A Tyrohac profugos poſuiſtis ſede Penates.
Vatīcanus. Juven. Sat. 6.
Et Vaticano frágiles de monte patellas.
Vatĭcanus. Carm. 1. Od. 10.
Redderet laudes tibi Vaticani.
montis imago.

Similiter hic & vocibus cognatis eandem quantitatem tribuere negligunt: ut,
ăſia. Æn. 3.
Poſſnam res Aſiæ Priamiq; evertere gentem.
ăſius. Geor. 4.
Atque Ephire, atque Opis, atque Aſia Dëiopea.
Dant per colla modos, ſonat amnis, & Aſia longè
Pulſa palus: Æneid. 7.
Brĭtanni. Eclog. 1.
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.
Brĭtones. Juven. Sat. 15.
Quà nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam.
ītalia. Æn. 7.
Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem.
ĭtalis. Æn. 11.
Italides quas ipſa decus ſibi dia Camilla.
ītalicus. Met. 13.
Graia quis Italicis author poſuiſſet in oris.
ītalus. Æn. 3.
Et ſæpe Heſperiam ſæpe Italis regna vocare.
ĭtalus. Æn. 1.
Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras.
Prodimur, atq; Italis longè disjungimur oris. Ibidem.
Lăvinium. Æneid. 1.
Fata tibi cernes urbem & promiſſa Lavini.
Mœnia. Æneid. 1.
Lăvinius Æneid. 4.
Nec prolem Auſoniam, & Lavinia reſpicit arva.
Prĭamus Heroid. 1.
Vix Prĭamus tanti totaque Troja fuit.
Prĭamides. Heroid. 15.

Hinc

Hanc tibi Priamides mitto Ledæa salutem.
Sĭcănia. Æneid. 1.
At freta Sicaniæ saltem sedésque paratas.
Sicănius. Æneid. 3.
Sicania prætensa sinu jacet insula contrá.
Sĭccănus. Sil. 14.
Cætera Elisæis aderit gens Sicana votis.
Sĭcānus. Ibidem.
Vomere verterunt primùm nova rura Sicano.
Sic tibi cùm fluctus subter labere Sicanos. Eclog. 10.
Undique conveniunt Teucri mistiq; Sicani. Æneid 5.
Sĭ.ŭlus. Eclog. 2.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
Sĭcelis. Eclog. 4.
Sicelides musæ paulò majora canamus,
Quid mihi cum Lesbo Sicelis esse volo. Heroid. 21.
Tybris utique primam producit: ut Æneid. 8.
Tybris.
Tum reges, asperque immani corpore Tybris:
A quo post Itali fluvium cognomine Tybrin.
At *Tyberis* corripit: ut
Tyberis. Geo. 1.
Quà Tuscum Tyberim & Romana Palatia sertas.
Tyberinus. Æn. 10.
Interea genitor Tyberini ad fluminis undam.
Istis obiter observatis, cætera diligentiæ tuæ relinquo.

Hanc libertatem recentiores etiam, veteres imitati, sibi vendicant: ut
ădam. Auf. Edyl. 1.
Deceptum miseratus Adam quem capta venenis.
ădam Prud. Enchirid.
Tinxit & innocuum maculis sordentibus Adam.
ăb.l. Prud. Periſt.
Deo offe[illegible]dum sanĕi Abelis ferculo.
ăbel. [illegible]em Enchirid.
Rusticus invidia pastorem sternit: in Abel.
Jăcobus. Buchan. Psal. 2.

Utque bonus dubiis Jacobum ad sydera rebus.
Jăcobus Psal. 135.
Quippe Jacobum ultrò legit; lectúmq; dicavit,
ōgus Idem Ibid.
Quique Basana Ogus magna ditione tenebat.
ŏgus. Psal. 139.
Stravit Ogum magno fidentem corpore frustrá.

§. 2. ¶. 3.

REGULÆ SPECIALES DE PRIMA TRES.

Præpositio.

Prima Regula.

1. Præpositio in compositione suam retinet quantitatem, ut *traduco*: ni positio vetet, ut *ăddo rĕjicio*; aut vocalis ante vocalem, ut *dehiscens, præustus.*

Quantitas præpositionum, etiam earum quæ nunquam extra compositionem reperiuntur, quales sunt (*am, di, dis, re, se, con,*) communibus omnium vocum regulis cognoscenda est. Siquidem *am*, ac *dis*, semper producuntur positione: & *con* etiam, nisi sequente vocali, vel suum N amittat, ut *coacervo*; (tum enim corripitur vocali ante vocalem) vel illud N mutet in *M*, ut *comedo*: tum autem corripitur, quia *M* finale priscis breve erat, quod etiamnum apparet in compositis: ut *circumago circumeo*: *di* producitur quia desinit in *I*: *se* item quia monosyllabum in *E*: *re* verò breve excipitur.

Excipe.

1. Di corripitur in *dĭrĭmo* & *dĭsertus.*

2. *Pro* corripitur in *prŏcella*, *prŏfarĭ prŏfit*[illegible], *prŏfugĭa prŏficiscor*, *prŏnepos*, *prŏneptis*, *profanus*, *profestus*, *prōfundus*, *prŏfecto.*

3. Pro-

3 *Procurro, profundo, propello, propulso,* a *propago* primam syllabam habent ancipitem.

a *Nomen & verbum.*

Propago nomen propriè sumitur pro vite vetula, vel pro palmite quæ ex illâ b propagatur: unde transfertur ad significandum genus & stirpem, aut etiam prolem & progeniem quæ inde nascitur. In priori sensu Virgilius bis produxit.

b *De propagandi ratione, vide* Plin. Lib. 17. Cap. 17. *Rami in terrebem depresse terræ obruuntur, post biennium imputantur, & sequenti anno transferuntur.*

Sed truncis oleæ melius propagine vites. Georg. 2.
Sylvarúmque aliæ pressos propaginis arcus. Ibidem.

In posterioribus item corripuit.

Esse sinent: nimium vobis Romana prŏpago. Æn. 6.
Sit Romana potens Itala virtute prŏpago. Æn. 12.

Unde quidam colligunt vocem hanc propriè sumptam primam producere, Metaphoricè verò eandem corripere debere: *Propago* tamen verbum etiam in translata significatione primam variat.

Ut prōpaganda possint producere secla. Lucret. lib. 5.
Nec potuisse prŏpagando producere prolem. Ibidem.

Videtur itaque mihi Virgilius in hac varietate nihil aliud valuisse, quàm primam in nomine communem facere, ut Lucretius faceret in verbo: hîc autem corripuit, illic produxit, carminis ratione, non significationis diversitate, id postulante; Neque enim tropus quantitatem mutare solet. Sed sequere tuum judicium.

In *probo, probus, probrum, proprius, procax, procus, procul, proceres, prope, propero, propinquus, protervus,* (quæ primam corripiunt) *pro* præpositio non est censenda: *Probrum* & *proprius* primam quoque producunt: verùm id fit non naturâ, sed ratione mutæ sequentis cum liquida.

Pro præpositio Græca brevis est, quia scribitur per

Omicron: ut in *prŏpheta*, *prŏpino*, *prŏpola*, *prŏpontis*, *prŏlogus*, *Prŏmetheus*, &c.

Re in *refert* impersonale producitur: ut
Quid tamen hoc refert, sic se pro classe Pelasga
Arma tulisse rĕfert? sed ex *re* nomine; non præpositione, ut hoc posterius, componi dicunt Grammatici.

Dissyllaba præterita & supina.

Secunda regula de pr.

II. Præterita & Supina Dissyllaba priorem producunt: ut *mōvi mōtum*.

Excipe.

Præterita sex *bĭbi*, *fŭdi*, *dĕdi*, *scĭdi*, *stĕti*, *tŭli*; & decem supina, *quĭtem*, *sĭtum*, *lĭtum*. *ĭtum*, *rŭtum*, *rătum*, *dătum*, *sătum*, *stătum* & *cĭtum* à a *cieo cies*, corripiunt primam.

a Nam *ciaum* a *cio cis* priorem habet longam.

Geminata præterita.

Tertia regula de pr.

III. Præterita primam geminantia primam corripiunt: ut *pŭpugi tĕtendi*, *cĕcidi*, *cĕcidi*.

§. 2. ¶. 4.

REGULÆ SPECIALES DE MEDIA TRES.

Accentus.

Prima Regula.

I. Accentus in hyperdissyllabis ostendit quantitatem penultimæ: ut *dóminus*, *humánus*.

Nam

Nam ſi antepenultima acuatur, penultima corripitur: ut *dŏmĭnus, ſānguĭnis, légĕre.* Si penultima acuatur, eadem producitur: ut *humānus, virtūtis, amare.*

Compoſita à *dare* quæ primæ ſunt conjugationis, analogum accentum & quantitatem non ſervant, quia verbum ſimplex *A* corripit ubique: ut *dă're circundă're, dăbis preſſúndābis.* Cùm cæteroqui primæ conjugationis characteriſtica, ut etiam ſecundæ & quartæ, perpetuò producatur: ut *ſtāre, flērē, ſcīre.*

Adjectiva in *inus* penultimam acuunt: unde appareat eandem produci: ut *matutínus.* Præter *diútĭnus príſtĭnus, cráſtĭnus perénnĭnus, hornótĭnus, ſerótĭnus*; & materialia: ut *frágĭnus, oleâgĭnus, cryſtállĭnus adamántĭnus, cóccĭnus carbásĭnus.* Adjectiva in *oſus*, præterita in *vi*, & eorum ſupina, penultimam acuunt: ut *animóſus, petívi petítum.*

Plurium aliquando in eadem dictione ſyllabarum quantitates per accentum cognoſci poſſunt: ut in *penĕtrābĭlis* trium; *bi* quia hîc eſt penultima, *tra* quia penultima eſt in *penetrábam*, & *ne* quia in *penetro*: *in collŏcūtiōnĭbus* quinque: ut enim *ni* hîc eſt penultima, ſic *o* in *collocutionis*, *ti* in *collocútio*, (quæ etiam brevis eſt per primam regulam de primâ & mediâ) *cu* in *collocútum*, & *lo* in *colloquor.*

Excipe.

1. Compoſita à *facio* *A* vocalem brevem in proſa acuunt: ut *benefácis, frigefácit.*

2. Syllabæ *rímus* & *rítis* futuri conjunctivi, quæ in proſa acuunt penultimam, in metro eandem communem habent.

Hujus generis ſunt genitivi ſecundam pronominis formam habentes: de quibus ſuprà.

Pituíta etiam, *phrenéſis, platéa, cheréa*, & *canopéum*, penultimam acutam variant.

Præcipuè ſanus niſi cùm pĭtuĭta moleſta eſt. Horat. Epiſt. I. lib. 1.

Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomac hóque tumultum
Lenta feret pĭtuīta —— Ibidem Sat. 2. Lib. 2.
Mucūſque & malæ pituita naſi. Catull. ad Furium

Perſius contrà pen. corripit: ſed tum Catullum ſequutus primam producit.

Somnia pituĭta qui purgatiſſima mittunt Sat. 2. Sic
Quum fur or hand dubium, quum ſit manifeſta phrenēſis. Juv. Sat. 14.
Declamas in febre Mathon hanc eſſe phrēnĕſin. Mart. lib. 4. Epig. 81.
Ex vitio cerebri phrenĕſis furioſa movetur. Seren.

De tribus reliquis vide primam regulam de prima & media cùm annotationibus ad eandem.

Compoſita ex vocibus numeri.

Secunda regula de med.

II. Compoſita ex vocibus numeri, quarum prior paulùm mutata in *I* deſinit, eandem *I* mediam corripiunt; ut *cauſĭdicus*, *multĭplico*. (1)

His annumerantur compoſita à *ſemi* & *ſeſqui*: ut *ſemĭvir*, *ſeſquĭpes*. Et quæ a numeralibus componuntur: ut *bĭceps*, *trĭformis*, *quadrĭremis*. Etiam ſequente *I* conſonâ: ut (2) *bĭjugus*, *quadrĭjugus*, *& is*. Præter (3) *quotidiè*, (4) *biduum*, & *triduum*, quæ ſunt communia.

Huc etiam ſpectant compoſita cum *lentus* & *bundus*, quæ vocales haſce particulas præcedentes corripiunt: ut *opulentus*, *fremĕbundus*. (5)

At *A* ante *bundus* producitur: ut *errābundus*, *ſudābundus*.

(1) Sic

(1) Sic *munĭficus*, *munĭceps*, *armĭger*, *frugĭfer*, *altĭtonans*, *arcĭtenens*, *cornĭpes*, *tubĭcen*, *cælicola*, *parrĭcida*, *amplĭfico*, *signĭfico*, & similia. Ausonius tamen licenter producit *matricida*: quòd ea vox non aliter metrum suum ingrederetur.

Matricida Nero proprii vim pertulit ensis. De 12. Cæsarib.

Pro qua voce Josephus Scaliger. *matrĭ que cida* per Tmesin legit.

Genitivus *quantivis* producitur: sed [illegible] nulla est mutatio, quia fit ex genitivo *quanti*.

Scīlicet & *īlicet* producuntur: sed non componuntur ex vocibus numeri.

Tibîcen, *bîgæ*, *quadrîgæ*, producuntur per Crasin.

Item *meridies*, ut enim à *tibia* fit *tibiicen*, & contractè *tibîcen*; ita à *medius* fit *mediidies*, & (*D* verso in *R*) contractè *meridies*, ut Etymologis placet.

Inter tepentes post merīdiem buxos. Mart. l. 3. Epig. 20.

Prīdie etiam & *postrīdie* longa sunt: sed in illis quoque quædam est Synæresis, pluribus syllabis in unam contractis: componuntur enim ex *priori die* & *posteriori*.

(2) *Martis equi bĭjuges, & magni currus Achillis.* Georg. 3.

Centum quadrĭjugos agitabo ad flumina currus. Ibid.

Turrigeræque urbes bĭjugíq; ad fræna leones. Æneid. 10.

Quadrĭjuges in equos, advērsáque pectora tendit. Ibid.

(3) *Levis dropac tu quŏtīdiano.* Mart. lib. 10. Epig. 65.

Qcotīdianam refice nauseam nummis. Mart. lib. 10. Epig. 37.

Conjugis in culpa flagravit q ōtidianâ. Cat. 2d Mal.

(4) *Biduum* & *triduum* communia censentur, quòd cùm sint naturâ brevia, apud Terentium ubiq; producantur: ut,

Non hercle, aut si adeo bīdui est aut trīdui. And. Act. 2.

Ego in[illegible]etrare nequeo hoc abs te bīduum. Eun. Act. 2.

Imò & Martialis producit *triduum*: ut

Si totum tibi trīduo legatur. Lib. 2. Ep. 6.

(5) Sic *gracĭlentus*, *ſanguinŏlentus*, *vinŏlentus*, *viŏlentus* *æſcŭlentus*, *fraudŭlentus*, *lucŭlentus*. *lutŭlentus*, *pulverŭlentus*, &c. Item *gemĕbundus*, *tremĕbundus*, *moribundus*, *pudĭbundus*, *queribundus*, &c. Quamvis

——— *quem virŭlenta Megæra*
Vincere cum toto non evaluiſſet Averno.

Compoſita à facio.

Tertia regula de med.

III. Compoſita ex facio aut *fio*, & voce numeri quæ paulùm mutata in *ε* deſinit, ipſam *ε* mediam communem habent: ut *tepefacio*, *liquefio*.

Alta tepĕfecit permiſta flumina cæde. Cat. lib. 1. Arg.
Frigida deſerto tepĕfecit membra cubili. Idem ad Mal.
Thura liquēfaciunt, inductáque cornibus aurum. Met. 7.
Sic mea perpetuis liquĕſiunt pectora curis. Pont. 1. 1. 2.
Conſtet an immenſum patĕfiat ad uſque profundum. Lucret. lib. 1.
Atque patēfecit quas ante obſederat ater. Idem. 4.
Cauſa patēfiet quæ ferri polliciat vim. Idem. 6.
Priſtinus in ſpeculum decor excitat & putrĕfactus. Prud. Apoth.
Et tamen hæc cùm ſint quaſi putrēfacta per imbres. Lucret. 2.

Licèt Virgilius omninò corripiat: ut

Cogit hyems, eademq; calor liquĕfacta remittit. Geo. 4.
Ibat & ingenti motu ſtupĕfactus aquarum. Ibidem.
Laxat clauſtra Sinon: illos patĕfactus ad auras. Æn. 2.
Multa gemens, magnóq; animū labèfactus amore. Æn. 4.
Fuſus humi viridesq; ſuper madĕfecerat herbas. Æn. 5.
Sanguine ſingultantem atro patĕfacta cruore. Æn. 9.
Annuit, & totum nutu tremĕfecit Olympum. Ibidem
Subjecit rubor, & calĕfacta per ora cucurrit. Æn. 12.

§. 2.

§. 2. ¶. 5.

REGULÆ SPECIALES DE ULTIMA TRES.

Prima Regula.

I. In *A I V, C N, A S E S O* S, Finita producuntur.

Excipe.

Corripiuntur.

in *A*
1. *ità, quià,* (1) *eià* (2)
2. omnes (3) caſus præter vocativos à Græcis in *as*, & ablativos primæ: ut *ô Thomă*, ab *hac Musă*

Sed (4) numeralia in *ginta* ſunt communia: ut *triginta.*

in *I*
1. *niſi* (5) *quaſi*, (6) *ſicuti.* (7)
2. (8) dativi & vocativi Græcorum: ut *huic Palladĭ*, *ô Amaryllĭ.*

Sed *mihi, tibi, ſibi, ibi,* ſunt communia.

In *C* *lăc, nĕc, aonĕc.* Sed (9) *fac*, & pronomen *hic* & neutrum *hoc*, modò non ſit ablativi caſûs, ſunt communia.

in *N*
1. *ăn, forsăn forſităn, tamĕn*, cum compoſitis *attamĕn, veruntamĕn*, *in* cum compoſitis *exĭn, ſubĭn, deĭn proĭn*, & voces illæ quæ Apocopen patiuntur, *mĕn', vidĕn'*, &c. (10)
2. Accuſat. in *an* à nominat. in *a*: ut *Iphigeniăn.* (11)
3. Recti in *en* creſcentes per *I* breve, ut *Carmĕn.*
4. Accuſativi in *in* & *yn*: ut *Alexĭn, Ityn.*
5. Græca in *on* per Omicron: ut nominat. *Ilĭŏn*, Accuſ. *Caucasŏn.*

in *As*
1. Græci recti creſcentes per *ades*, ut (12) *Pallăs.*
2. Græci accuſativi plurales quintæ declinationis, ut *eraterăs heroăs.*

in *Es*
1. *penĕs*, & *ĕs* cum comp. ut *potĕs*, *prodĕs.*
2. recti per *I* vel *E* breve creſcentes, ut *milĕs* (13) *præpĕs:* præter *ariēs*, *abiēs*, *pariēs*, *Cerēs*, & (14) *pēs*, cum compoſitis, ut *ſonipēs*, *quadrupēs.*
3. Græca neutra, & nominativi plurales, ut (15) *hippomanēs*, *Cyclopēs.*

in *Os*
1. *compŏs*, *impŏs*, & *os oſſis.*
2. Græca per omicron, ut nom. *Chaŏs*, genit. *Palladăs.*

(1) *Ferret ad auriger æ caput arboris, eiă per ipſum.* Valer. lib. 8.

Eia Dei laudes Solymeæ pangite turres. Buch. Pſal. 147.

(2) Deſpauterius & Aldus addunt *Putà*, cùm pro *videlicet* ponitur, citato hoc verſu.

Hoc pută non juſtum eſt, illud male, rectius iſtud. Perſ. Sat. 4.

Sed plerique codices, etiam quæ Aldinæ editionis ſunt, pro *puta* legunt *puto.*

Et *poſtea* apud Ovidium ſemper corripitur: ut:

Poſtea mirabar cur non ſinè litibus eſſent. Faſt. 1.
Poſtea præteriti tumulis redduntur honores. Faſt. 2.

Sed diviſis vocibus legendum contendunt *poſt ea.*

Nam compoſita ſimilia, *antea*, *interea*, *præterea*, *propterea*, ſemper producuntur: ut

Ubi iſte poſt phaſelus antea fuit. Cat. Carm. 4.

Poſteaquam tamen decompoſitum à *poſtea* corripitur

Poſteaquam rurſum ſpeculatrix arva patere. Victor.

Etiam *contrà* correptum legitur: ut

Ne fortè hæc per ſe cogant nos contrà fateri Lucr. l. 1.
Contrà jacet Cancer patulam diſtentus in alvum. Manil. 2.

Sed licenter hoc fieri videtur, cùm alias ubiq; producatur: etiam apud ipſum Lucretium; ut

As

At contrà gravium plus in se corporis esse. Lucret. 1.
Unde Aldus pro priori ve su legit,
Ne contra hæc per se cogant nos fortè fateri. Et Lamb.
Ne fortè hæc per se cogant nos esse fateri.

(3) Quidam nominativi propriorum Græcorum, Græcorum more, interdum producuntur: ut
Dat Nemea comites & quas in prælia vires. Theb. 4.
Quos Pylos, & dubiis Malea vitata carinis. Ibid.
Non Tegeā, non ipsa dea vocat alite fœlix. Ibid.
Mittit Hypermnestrā de tot modò fratribus unā. Heroid. 14.
Implebit Mariā, Christum paries sacra virgo. Prud. Enchir.

(4) Sunt qui numeralia in *ginta* tantum produci dicunt: sed leguntur etiam brevia: ut
Mutua quòd nobis terquinquaginta dedisti. Mart. 3. Ep. 40.
Sexaginta teras cùm limina mane senator. Mart. 12. Ep. 26.
Nonaginta dies sine te, charissime, traxi. Ausf. Ep. 5.
Hoc ajunt: vix sex & quadraginta per annos. Juven. lib. 2.
Ter triginta quadrum partes per sydera reddent. Manil. 2.

(5) Lucretius produxit *quasi*: ut
Et devicta quasi cogatur ferre patique. Lucret. 2.
Sed non sine poëtica licentia. Nam aliàs corripitur: ut
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo. Ibid.
Et quasi cursores vitai lampada tradunt. Ibid.

(6) *Sicuti quadrupedum cùm primis esse videmus.* Lucret. 2.

(7) Adde *cui* dissyllabum.
Collatus cui gallus est Priapus. Mart. 11. Ep. 73.
Et credit cui Posthumilla dives. Mart. 12. Ep. 49.

(8) Dativi Græcorum quintæ declinationis (sicut etiam nominativi plurales) interdum producuntur: nempe

nempe formam ſequentes tertiæ Latinorum, juxta quam etiam inflecti ſolent: ut

Ut rapiat Paridi, quam Paris antè ſibi. Heroid.13.
Mæonidēs (*agnorat enim*) *conſiſtite dixit.* Met 5.

At nomina tertiæ Lat. quæ Græcè erant primæ, dativum, tanquam Latina, omnino producunt; ut *Oreſti, Euripedi, Pyladi.*

(6) *Hos ſăc Armenios, hæc eſt Danaïa Perſis.*
Ovid.1.de Art.

Phyllis ăc exſpectes Demophoonta tuum. Heroid.2

(10) *Educet, vidēn' ut geminæ ſtant vertice criſtæ.*
Æneid.6.

Noſtin' an exciderint mecum locis venimus ambo.
Heroid.12.

Nam quòd illud objiciunt.

Iſtuc unde abii redeo, nemon' ut avarus. Serm.1.
Sat.& illud.

Tun' ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ. Æn.1.

Probatiſſima exemplaria Apocopen non habent.

(11) Nam ā nominativis in *as* producuntur: ut *Æneān.*

(12) *Pallas* dea, quia genitivum facit in *ados*, ultimam corripit: ſed *Pallas*, *antes* producit, juxta ſpecialem regulam: ut

Filius hinc Pallas, olli comes ibat Achates. Æn.8.

(13) *Præpes* à *præpetendo* dicitur (ut Etymologis placet) quaſi loca *præ* aliis minùs pernicibus *petens*: quod arguit genitivus exeuns in *petis*, non, ut compoſita à *pede*, in *pedis*. Ultimam autem corripit: ut

——— *quem præpĕs ab Idâ*
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis. Æn.5.

Sed neſcio quomodo inter compoſita *à pede* irrepſerit, & ultimam producere dicatur.

(14) *Pēs etiam & camuris hyrtæ ſub cornibus aures.*
Geor.3.

Stat ſonipēs, ac fræna ferox ſpumantia mandit. Æn.4.
Tollit ſe arrectum quadrupēs, & calcibus auras. Æn.10.
Omnia magna loquens modò ſit mihi menſa tripēs, &
Ser.1.Sat.3. Re-

Recentiores tamen corripiunt composita: ut
Qui bipēs, & quadrupes foret, & tripēs, omnia solus.
Aus. Eid. 11.
Non recipit natura hominis modò quadrupēs ille.
Prud. Apophth.
Sicut etiam corripiunt composita à *par*. Vide 8. in notis ad secundæ regulæ exceptiones.
(15) Nam Græcè scribuntur per Epsilon: at nominativi plurales interdum producuntur. Vide 8. suprà.

Secunda Regula.

de ult.

II. In *E* (1) *BD*, *LRT*, *ISVS* (2) *YS*, finita corripiuntur. (3)
(1) Hebræa in *B* & *D* producuntur: ut *Job*, *Jacob*, *Bogud*, *David*: cujus obliqui apud Juvencum penultimam item producuut: ut
Urbs est Judææ, Bethleem Davida canorum. Lib. 1.
Nam genitus puer est Davīdis origine clara. Ibidem.
Quam Buchananus, quòd Hebraicè scribatur per Hiric parvum, ubique corripit: ut
Davĭdis & sacra perfudi tempora olivo. Psal. 89.
(3) *Tethys* apud Virg. ponitur ultimâ longâ.
Téque sibi generum Tethys amat omnibus undis.
Georg. 1.
Sed non ideò, *ys* producitur, magis quàm *an* ab *A* quia Ovid. dixit.
Qui legis Electrān, & egentem mentis Orestem. Trist. 2.
Utrobique enim Diastole locum habet.
(3) Porrò *Y* vocalis Græca corripitur: ut
Moly vocant superi: nigrâ radice tenetur. Met. 14.
Aus tua, Tiphy, jacet, si non sit in æquore fluctus.
Trist. 4. El. 3.
Etiam *M* non elisum breve est. Vid. Ecthlipsin omissam, & notas ad primam regulam de primâ.

Excipe

Excipe.

Producuntur

in E
- 1. monoſyllaba, ut *mē, dē, ſē*: præter *quĕ, nĕ, vĕ*, conjunctiones encliticas, *re* præpoſiticnem, & adjectiones ſyllabicas *cĕ, tĕ, ptĕ.* (1)
- 2. ablativi quintæ declinationis, ut *rē, diē*, unà cum adverbiis indè enatis, ut *hodiē, quotidiē, pridiē, poſtridiē, quarē*; & *rēfert* impersonale. (2)
- 3. ſecundæ perſonæ ſingulares imperativorum activorum ſecundæ conjugationis, ut *docē.* (3)
- 4. adverbia ab adjectivis ſecundæ declinationis formata, ut *minimē, validē*, & per Syncopen *valdē*: item, *fermē*, (4) *ferē, lohē*: præter *benĕ* & *malĕ.*
- 5. Græca per Eta, ut nom. *lethē*, voc. *Anchiſē.*

in L
- (5) *ſol* (6) & Hebræa quædam, ut *Baāl, Michaēl.* (7)

in R
- 1. monoſyllaba hæc *fār, lar, fūr, cūr, Nār, vēr*, (&) *pār* cum compoſitis, *compār, impār, diſpār.* (9)
- 2. Græca per Eta, ut *aēr, æther, cratēr*; præter *patĕr*, & *matĕr.*

in Is
- 1. monoſyllaba, ut *līs, vīs*, & ejus compoſita, *quamvīs, quidvīs*, &c. præter *is, quis*, &c. (10) *bĭs.*
- 2. recti creſcentes per *I* longum, ut *Samnīs, Salamīs*; genitivo *ītis, īnis.*
- 3. obliqui plurales, ut *musīs.*
- 4. ſecundæ perſonæ ſingulares: quarum plurales deſinunt in *ītis* penultimâ productâ, ut *audīs, velīs, dederīs* futurum; pl. *audītis, velītis, dederītis.* (11)
- 5 Græca per *eis*, ut *Simoīs, Pyroīs.*

1. mo-

in *Us* {
1. monoſyllaba, ut *sūs plūs.*
2. recti per U longum creſcentes, ut *virtūs.*
3. omnes caſus quartæ inflectionis: præter nominativos, & vocativos ſingulares.
4. Græca per *ous*, ut hîc *Panthūs*, hujus *Clitūs*: præter compoſita à *pous*, ut (12) *Polypŭs.*
}

(1) Ut in *hiſcĕ, tutĕ, tuoptĕ*, & ſimilibus.

(2) Et *Fame* ablativus produci ſolet, quia *famēs* olim quintæ declinationis fuit: ut

Sollicitæ volitant morbis, algóque famēque. Lucr.l.3.
Amiſſis, ut fama, apibus morbóque famēque. Georg.4.
Jámque famē patrias altique voraigne ventris. Met.8.
Hoc ſi contigerit famē peribis. Mart.l.1.Ep.100.
Ipſa famē ſtimulante furens herbáſque ſepulchris. Tibul.1.l.5.

(3) *Cavĕ* quandoque breve reperitur: Vide Syſtolen.

Vidĕſſis etiam & *valĕdico* corripiuntur: Vide tertiam exceptionem compoſitorum.

(4) *Jamque ferē ſicco ſubductæ littore puppes.* Æneid.3.

Corripitur tamen apud Auſonium:

Nam tecum ferĕ totus ero, quocunque recedam. Epigr. 103.

(5) *Per duodena regit mundi sōl aureus aſtra.* Geo.1.
Bis me sōl adiit gelida poſt tempora brumæ. Triſt.4. lib.6.

(6) Aldus addit *Pol*, quàm rectè ipſe viderit. Cùm enim ſit adverbium jurandi per Pollucem, ut *ædepol* per ædem Pollucis, videtur potiùs corripiendum, quia πολυδεύκης (unde Pollux) ſcribitur per Omicron: ut aſtipulatur illud Ennii,

Nĕmŏ homo quiſquam faciet impunè animatus.

Nil producitur per Synær: Vide tert. reg de omnib.

(7) Sic *Gabriēl, Danīēl, Raphaēl, Iſraēl, Micōl, Phicōl*, &c.

(8) Lu-

(8) *Ludere pār impar, equitare in arundine longa* Ser. Sat. 3.

Sed compoſita, ut producuntur juxta quantitatem ſimplicis, ità etiam à recentioribus corripiuntur juxta regulam: ut

Succumbit Phrygio, coitus fuit impār utrique, Prud. Symma.

Quicquid diſpār habet cumulum diſcretio carpit. Idem Hamar.

Idem fit in compoſitis à *Pes.*

(9) Ovidius produxit *vir* & *cor:* ut

De grege nunc tibi vīr, & de grege natus habendus. Met. 1.

Molle meum levibus cōr eſt violabile telis. Heroid. 21.

Sed utrumque licenter fecit: Vid. Diaſt. Nam aliàs corripitur: ut

Hic vĭr, hic eſt tibi quem promitti ſæpiùs audis. Æn. 6.

Molle cŏr ad timidas ſic habet ille preces. Triſt. 5.

(10) *Bis* deducitur à *δὶς* brevi per Antitheſin: ideoque etiam corripitur: ut

Et bĭs idem facimus nimiùm ſi, Stella, vīdetur. Mar. l. 1 Ep. 45.

Troja bĭs Oeteī numine capta dei. Prop. l. 3. El. 1.

Tum bĭs ad occaſus, bis ſe convertit ad ortus. Met. 14.

Læta bĭs octono tibi jam ſub conſule pubes. Auſ. Epit. 33.

Licet Grammatici *quis* & *is* à monoſyllabis longis excipientes illud omiſerint.

(11) At *poſſis* ſemel apud Juvenalem corripitur.

Tam jejuna fames? cùm poſſĭs honeſtiùs illic. Sat. 5.

Quo tamen loco Deſpauterius *poſcis* legendum eſſe contendit: & Stephanus *poſſit.* Tu fortaſſe genuinâ ſervatâ lectione, Syſtolen hîc agnoſces, ut ſup à in adverbio *contrà.*

(12) In hac voce, ut ultima, naturâ longa, corripitur; ſic prima, naturâ brevis, apud Latinos producitur.

Tertia

Tertia regula

de ult.

III. *O* finita communia ſunt: ut *ſermo, amo, amando, porrò.*

Excipe.

Producuntur in o

1. monoſyllaba, ut *prō ſtō:* item *ergō* pro *cauſa.*
2. dativi & ablativi, ut huic *daminō*, ab hoc *ſervō.*
3. adverbia ab adjectivis derivata, ut *tantō, liquidō, eō,* & compoſita, *idcō, adhūc* præter *ſeduló, mutuò, crebrò, ſerò,* quæ ſunt communia.
4. Græca per Omega, ut (1) *Iō*, hæc *Sapphō, Diaō.*

hujus	*Androgeō, Apollō,*	hunc	*Atlō. Apollō.*

Corripiuntur *ſciŏ, neſciŏ, citŏ, illicŏ,* & *quomodŏ*: *Modò, quoque, ambo, duo, ego, atque homo,* (2) ferè brevia ſunt.

(1) Et nomen proprium, & adverbium: ſed priorem illud producit, hoc corripit.

(2) Non ſemper: nam productionis etiam exempla ſunt: ut

Hoc quid putemus eſſe qui modō ſcurra. Cat. ad Varum.
Vlla poteſt decreta modō tu vive ſuperſtes. Victorin.
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo. Eclog. 7.
Europámque, Aſiámque, duō vel maxima terræ. Aul. Epiſt. 19.
Auſus ego primus caſtos violare pudores. Virg. in Diris.
Sic ego ſolus me quoque pauperēr, Auſ. Ep. Cræ.
Separor unus egō, ſed partem ſumo minorem. Auſ. ad Gal.
Unus homo nobis cunctando reſtituit rem. Ennius.

Quarum

Quarum ſyllabarum quantitas hiſce regulis cognoſci nequeunt, exemplis & autoritate poetarum obſervandæ ſunt. Verùm ſi Autoritas tyronibus ſubito non occurrat, conſulatur Smetii Proſodia: quæ prompto hac in re illis remedio erit.

Caput 14. §. 3 ¶. 1.

De Pedis generibus.

PEs eſt diſſyllabus vel triſyllabus: & uterque ſimplex, aut miſtus.

Diſſyllabus ſimplex eſt
- Pyrrichius ex duabus brevibus, ut *dĕŭs.*
- Spondæus ex duabus longis, ut *mūsās.*

Miſtus eſt
- Iambus è brevi & longa, ut *dĕōs.*
- Choreus è longa & brevi, ut *ārmā.*

Triſyllabus ſimplex eſt
- Trochæus è tribus brevibus, ut *lĕgĕ, ĕ.*
- Moloſſus è tribus longis, ut *vīrtūtēs.*

Miſſus eſt
- Dactylus è longa & duabus brevibus, ut *dī ĕ ĕ.*
- Anapæſtus è duabus brevibus & longa, ut *flŭvĭōs.*

Sunt & alii pedes triſyllabi, imò tetraſyllabi, pentaſyllaby, & hexaſyllabi: quos non otioſa quidem Gram-

Grammaticorum curiositas commenta est: sed hi instituto nostro possunt sufficere. Trisyllabos tamen reliquos ac tetrasyllabos, quòd eorum aliquoties apud autores mentio fiat, hîc etiam adjicere non pigebit.

Trisyllabi omninò traduntur octo.

Quatuor itaque restant.

Bacchius,	ut	ĕgĕstās.
Palimbacchius,		pŏrtārĕ.
Amphibrachys,		bĕnīgnŭs.
Amphimacrus seu Creticus		vērbĕrāns.

Tetrasyllabi sedecim.

Proceleusmaticus,	ut	rĕlĕgĕrĕ.
Dispondæus,		ōrātōrēs.
Pæan primus,		āmbrŏsĭæ.
Pæan secundus,		sŭpĕrbĭă.
Pæan tertius,		sŭpĕrārĕ.
Pæan quartus,		cĕlĕrĭtās.
Epiritus primus,		săcĕrdōtēs.
Epitritus secundus,		cŏmprōbārūnt.
Epitritus tertius,		cāncōrdĭæ.
Epiritus quartus,		cŏntĕmplātŏr.
Ionicus major,		sălūtābĭmŭs.
Ionicus minor,		Lăcĕdæmŏn.
Choriambus,		prōspĕritās.
Iambochoreus,		ălĕxāndĕr.
Dichoreus,		cānĭlēnă.
Diiambus,		lămænĭtās.

Tetrasyllabi autem isti, sicut etiam pentasyllabi, & hexasyllaby, δισπονδεῖα rectiùs, seu pedum συζυγίαι, quàm pedes, appellantur. Quid enim aliud est Proceleusmaticus, quàm duplex Pyrrichius? Quid aliud Dispondæus, Dichoreus, Diiambus, quàm duo Spondæi, chorei, Iambi? quod vel ipsorum nomina indicant. Item Pæan primus, nonne idem est quod Choreus

reus Pyrrichius? secundus, quod Iambus Pyrrichius? tertius, quod *Pyrrichius Choræus? quartus, quod Pyrrichius Iambus?* & sic de cæteris. Recte itaque illi de quibus Orator, [a] *Pæan, quòd plures habeat syllabas quàm tres, Numerus à quibusdam, non Pes, habetur.* Probat idem Quintilianus [b] *Quicquid enim supra tres syllabas habet, id ex pluribus est pedibus.*

Pedes pentasyllabos numero triginta duos, & hexasyllabos sexaginta quatuor, tam ob nimium tædium, quàm nullum usum, missos facio.

a *Orat. Pers.* ¶ 43. b *Lib. 9. Cap. 4.*

Caput 14. §. 3. ¶. 2.

De Metri generibus.

ATque hæc de Metri definitione. Genera ejus multa sunt (Numerus enim potest ihfinitis penè modis variari & confirmari) summâ autem sunt quinque, quæ Pedum numero distinguuntur: dimetrum, trimetrum, tetrametrum, pentametrum, & hexametrum.

Dimetrum est Adonicum, constans é Dactylo & Spondæo: ut *Fūlmĭnă mōntēs.*

Trimetrum est Glyconium & Pherecratium.

Glyconium constat è Spondæo, & duobus Dactylis: ut *Mæcēnās ĕquĭtūm dĕcŭs.*

Pherecratium è Spondæo, Dactylo, & Spondæo: ut *Lātōnāmquĕ sŭprēmō.*

Tetrametrum est Asclepiadeum, è [a] Molosso, Anapæsto, & duobus Dactylis. Carm. lib. 4. Od. 8.

Erēptūm Stygĭis flūctĭbŭs Aĕăcŭm.
Virtus, & favor, & lingua potentium
Vatum, devitibus consecrat insulis:
Dignum laude virum Musa vetat mori.

a *Vulgo Spondæo, Dactylo syllaba longa.*

Ubi

Ubi videndum eſt, ut Anapæſtus finiat dictionem. Ternis aliquando Aſclepiadeis additur Glyconium. Carm. lib. 3 Od. 16.

Crēſcĕntēm sĕquĭtŭr cūră pĕcūnĭam.
Majorúmque fames: Jure perhorrui
Late conſpicuum tollere verticem,
Mæcēnās ĕquĭtūm dĕcŭs.

Interdum binis & Glyconio interſeritur Pherecratium. Carm. lib. 1. Od. 21.

Dĭānām tĕnĕræ dĭcĭtĕ virgĭnēs,
Intonſum pueri dicite Cynthium,
Lātŏnāmquĕ sŭprĕmō
Dĭlĕctām pĕnĭtŭs Jovi.

Tetrametrum Iambicum vide mox in Hexametro.

Pentrametrum eſt Phaleucium, Sapphicum, & Elegum.

Phaleucium conſtat è Spondæo, Dactylo, & tribus Choreis. Mart. lib. 10. Ep. 47.

Vitām quæ făcĭūnt bĕātĭōrem.
Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis;
Lis nunquam, toga rara, mens quieta;
Vires ingenuæ, ſalubre corpus;
Prudens ſimplicitas, pares amici;
Convictus facilis, ſine arte menſa;
Nox non ebria, ſed ſoluta curis;
Non triſtis torus, attamen pudicus;
Somnus qui faciat breves tenebras:
Quod ſis eſſe velis, nihilque malis;
Summum nec metuas diem, nec optes.

Catullus tamen pro Spondæo nunc Choreum, nunc Iambum uſurpat: ut Ad Marc. T. C.

Dĭſertiſſime Romuli nepotum.

Quot

Quos ſunt, quótque fuêre, Marce Tulli,
Quótque pòſt aliis erunt in annis,
Gratĭas tibi maximas Catullus
Agit, peſſimus omnium poeta:
Tantò peſſimus omnium poeta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Sapphicum conſtat è Choreo, Spondæo, Dactylo, Choreis duobus: cui ter dicto addendum eſt Adonicum. Carm. 1, 2. Od. 10.

Sæpĭŭs vĕntīs ăgĭ'ātŭr īngĕns
Pinus, & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriúntque ſummos
Fŭlmĭnă mōntēs.

Elegum conſtat duobus primis locis, Dactylo vel Spondæo, [b] tertio Spondæo (cujus prior ſyllaba dictionem claudet (cum Anapæſtis duobus. Ab Epico verò nunquam ſeparatur. Triſt. Elegia 1.

Parve (nec invideo) ſine me liber ibis in urbem:
Hēi mĭhĭ quōd dŏmĭnō nōn lĭcĕt īrĕ tŭō.

b *Vulgo cum ſyllaba longa, & duobus Dactylis, cum ſyllaba item longa.*

Hexametrum eſt Epicum, & Iambicum.

Epicum præcipuè celebratur, conſtans quatuor primis locis è Spondæo, vel Dactylo, quinto Dactylo, & ſexto Spondæo. Virgil. Æneid. 1.

Armă vĭrūmque cănō, Trojæ quī prĭmŭs ăb ōrīs.

Quinto tamen loco Spondæus aliquando ſubſtituitur: nè verò nimia metri tarditas aures offendat, (a) Dactylum tum quamvis poſtulat: ut Eclog. 4.

Chara deûm ſoboles, magnum Jovis incremenium.

(a) Hanc

(*a*) Hanc legem ter neglexit poëta. Georg.3.
Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas convilles. Æneid.3.
Nereîdum matri, & Neptuno Ægeo. Et Æneid.7.
Aut leves ocreas lento ducunt argento.

Atque Ovidius in Metamorph. ſemel, nempe lib.1.
Pérque hyemes, æſtúſque, & inæquales autumnos.

¶ Notandum hîc eſt verſum Spondaicum (quem poëtæ Dactylicis venuſtè identidem interponunt) tetraſyllabâ, aut triſyllabâ dictione terminari. Tetraſyllabâ, ut

Ante tibi Eóæ Atlantides abſcondantur. Georg.1.
Cecropiúmq; thymum, & graveolentia centaurea. Geo.4.
Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit. Æneid.2.

Armatúmque auro circumſpicit Oriona. Æneid.3.
Cornua velatarum obvertimus antennarum. Ibidem.
Proximus huic, longo ſed proximus intervallo. Æn.5.
Et lucus latè ſacer additur Anchiſæo. Ibidem.
Pallantis proavi de nomine Pallantæum. Æneid.8.
Diſcedunt, clamydémque auro dedit intertextam. Ibid.
Nec non & ſacri monſtrat nemus argileti. Ibidem.
Poſſe viam ad muros, & mœnia Pallantæa. Æneid 9.
Quales Threïciæ cùm flumina Thermodontis. Æn.12.
Margine terrarum porrexerat Amphitrite. Met.1.
Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas. Ibib.
Aereæque Alpes, & nubifer Apenninus. Met.2.
Dum redit, itque frequens in virgine Nonacrina. Ibid.
Pictarúmque jacent fera corpora pantherarum. Met.5.
Exſtimulata fame mugitibus armentorum. Met.5.
Sylvarum lucos circumſpicit antiquarum. Ibidem.
Uſque ſub Orchomenon, Pſophidáque, Cyllenénque. Ibid.
Et vetus in tela deducitur argumentum. Met.6.
Nexilibus flores hederis habet intertextos. Ibidem.
Lu[illegible]ga verſârunt, animam ſimul exhalârunt. Ibid.
Fumificíque locum mugitibus impleverunt. Met.7.
Hîc illic ubi mors deprenderat exhalantes. Ibidem.
Sacra Jovi quercus de ſemine Dodonæo. Ibidem.

Nove-

Noverat ante alios ſaciem ducis Europæi. Met.8.
Ille ſuis Delphis, hic vertice Cyllenæo. Met.11.
Aptarique ſuis primùm jubet armamentis. Ibid.
Nam tibi ſævorum ſæviſſime ceutaurorum. Met.12.
Longus in anguſtum quâ c lauditur Helleſpontus. Met.13.
Mileus: & longò cælaverat argumento. Ibidem.
Undarum ſparſas Symplegadas eliſarum: Met.15.

Triſyllabâ verò ut

Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo. Eclog.5.
Stant & juniperi, & caſtaneæ hirſutæ. Ecl.7.
Muneribus tibi pampineo gravidus autumno. Georg.2.
Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas canvalles. Georg.3.
Tun' ille Æneas quem Dardanio Anchiſæ. Æneid.1.
Ardea, Cruſtumerique, & turrigeræ Antemnæ. Æn.7.
Quod fieri ferro, liquidóve poteſt electro. Æneid.8.
Servabat ſenior, qui Parrhaſio Evandro. Æneid.11.
Pérque hyemes, æſtúſque, & inæquales autumnos. Met.1.
Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ auroræ. Met.3.
Phœbeámque Rhodon, & Ialiſios Telchinas. Met.7.
Penelopéſque ſocer cum Parrhaſio Ancæo. Met.8.
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo. Met.11.
Hæc inter Lapithas, & ſemihomines Centauros. Met.12.
Eſſe viros fama eſt in Hyperborea Pallene. Met.15.
Hæc Helenum cecinisſe penatigero Aeneæ. Ibidem.

Monoſyllabum tamen *dis* bis apud Virgilium in fine Spondaici repetitur.

Cum ſotiis, natóque penatibus, & magnis diis. Æn.3.
Cum patribus, populóque, penatibus, & magnis diis. Æneid.8

Iambicum eſt haxametrum, quod omnibus locis capax eſt Iambi. Epod. Od. 16.

Sŭīs ĕt īpsă Rōmă vīrĭbŭs rŭīt.

Poteſt tamen, ad celeritatem temperandam, Spondæus in impari quolibet loco collocari.

Epod. Ode ultima.

Quid obſecratis āuribus fūndis preces?
Non sāxa nudis sūrdiora navitis
Nĕptūnus altō tūndit hybĕrnūs salo.

Hic

Hîc autem quod alternatim subsequitur carmen, binis sæpius pedibus mutilatur. Ep. Od. 2.

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mōrtālium,
Paterna rura bobus exērcēt suis
Solutus omnī fœnore.
Nec excitatūr clāssico mīlĕs truci,
Nec horret irātum mare,
Forúmque vitat, & superba civium
Potentiorūm limina.

Est etiam ubi tetrametrum Iambicum sine hexametro legitur. *Prudent.* Cath. Hymn. 11.

Quid est quod Arctūm cĭrculum
Sŏl jām recurrēns dēserit?
Christūsne terrīs nascitur,
Quĭ lūcis augēt tramitem?

¶ Licèt porro huic Metro (nè voces, in quibus syllabæ breves concurrunt prorsus excludantur) pro longa, quæ duorum est temporum, breves duas interdum reponere.

Unde Hexametrum, secundo, tertio, & quarto loco, pro Jambo Trochæum recipit: pro Spondæo Dactylum tertio, Anapæstum quinto, & utrumque primo: atque, apud Senecam, Proceleusmaticum etiam, non raro primo, & Dactylum quater quinto. Sed bini saltem Iambi perpetuo servantur.

Aut amĭtĕ levi rara tendit retia. Epod. Od. 2.
Libet jacerĕ mŏdŏ sub antiqua illice. Ibidem,
Ālĕtĭbus atquĕ cănĭbŭs homĭcīdam Hectorem. Ep. Od. 17.
Qui cŭbĭ perire jussus expiravero. Ep. Od. 5.
Priúsque cœlum sidet infĕrĭŭs mari. Ibidem.
Pŏsĭtósque Cernas Ditis examen domus. Ep. Od. 2.
Păvĭdūmquĕ lĕpŏrem & advenam lăqueō gruem. Ibid.
Nĭsĭ căpĕre vellet. Thy est. A. 2. S. 1.

Tumet animus irâ. Theb. A.2.S.1.
Ego laticis haustu satior?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit. Hippol. A.1.S.2.
Patefacite. Hippol. ad finem.

Tetrametrum verò interdum habet, primo loco, pro Spondæo Dactylum aut Anapæstum; secundo, prè Jambo Trochæum.

Cānĭdĭa tractavit dapes. Ep. Op. 3.
Viderĕ prŏpĕrantes domum. Ep. Od. 2.
Bĭpătens pugillar expedi. Aus. Ep. 138.

Jambicum itaque metrum ex omnibus Jambis ultimum duntaxat sibi servavit immutatum, imò vel sexto etiam loco, quinto Jambum retinente, Spondæum habet, sed hujusmodi versus Scazon, sive Choliambus, i. claudus Jambus dicitur: ut

Si non molestum est, téque non pĭgĕt Scāzon. Mart. l. 1. Epig. 97.
Sed non videmus manticæ quŏd in tērgo ēst. Catul. ad Var.
Nec fonte labra prolui cābūdīnō.
Nec in bĭcĭpĭti sommia ssĕ Pārnāssō
Mĕmĭni, ut repente sic poetă prodīrēm. Pers. Prol.

Nonnunquam Scazonti miscetur tetrametrum.

Verona docti syllabas ămāt vāsis,
Marone felix Mantua est:
Censetŭr Apŏna Livio sŭo dĕllūs,
Stellaque nec Flacco minus:
Appollodoro plaudit imbrĭfer Nīlūs,
Nasone Pelagni sonant:
Duosquĕ Sĕnĕcas, unicúmquĕ Lūcānĭnt
Facundă lŏquĭtur Corduba:
Gaudent jocolæ Canio sŭo Gădēs,
Emĕrĭta Dĕcĭano meo:
Te, Liciane, gloriabĭtŭr nōstrā.
Nec me tacebit Bilbilis. Mart. l. 1. Ep. 61.

Atque hæc præcipua sunt metri genera: cætera, si cui sit animus cognoscere, ex poëtis animadverti possunt.

CAP

CAP. XV.

NUmerus Poeticus, certis adstrictus Pedibus, expositus est, Oratorius est (*a*) numerus solutus, qui ex Pedibus quidem constat, sed incertis, & (*b*) liberis.

Primum hîc est præceptum, In Prosa (*c*) versum fugito: citare tamen licet aliunde, auctoritatis aut voluptatis gratiâ.

Deinde (*d*) principium vel exitum carminis, nec principium, nec exitum prosæ facito.

Principii cura sit minor; medii penè nulla; (*e*) clausulæ verò maxima: in qua una Numeri perfectio & absolutio præcipuè apparet & intelligitur.

Clausulæ numerus (*f*) senis, plùs minùs, syllabis observetur.

(*g*) Ex longis clausula tardior & rarior; rariſſima ex brevibus, & incitatior: at (*h*) ex temperatione longarum & brevium gratior est, & frequentior. Hîc autem excellit (*i*) Dichoreus; quem pes quilibet disſyllabus præcipuè Jambus in dictione hyperdisſyllaba aptè præcedit.

Numerus perpetuò (*k*) variari debet: nè, aut eximorum judiciis, aut aurium satietate, repudietur, aut similitudine artificium deprehendatur.

Ad Cap. 5.

(a) *Numerus solet.* Orat. Perf. ¶.37. *Sit igitur cognitum in solutis etiam verbis inesse numeros.* Et mox, *Neque uumerosa esse, ut Poema; neque extra numerum, ut sermo vulgi est debet oratio: alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat; alterum nimis est dissolutum, ut pervagatum ac vulgare videatur.*

(b) *Liberis.* orat. lib. 3. ¶.26. *Liberior est oratio, & planè, ut dicitur, sic est vere soluta: non ut fugiat tamen aut erret; sed ut sine vinculis sibi ipsa moderetur. Non enim hîc pedes, ut in Metro, certâ aliquâ lege sunt vincti: sed, pro dicentis arbitrio, ubique variandi.* Vide (k).

(c) (d) Theod. l. 3. c 3 *Figurarum orationi oportet neque metricam esse, neque sine numero.* Quod præceptum sic explicat. Q. l. 6. c. 4. *Versum in oratione fieri multò fœdissimum est totum, sicut etiam in parte deforme: Utique si pars posterior in clausula deprehendatur; aut rursus prior in ingressu: nam quod est contra, sæpe etiam decet.* Attamen Orat Perf. ¶.36 *Versus sæpe in oratione per imprudentiam dicimus: quod vehementer est vitiosum sed non attendimus, neque exaudimus nosmetipsos. Senarios verò effugere vix possumus. Magnam enim partem ex Iambis nostra constat oratio Eligit ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus* Hieronimus, *plerosque senarios: qua quid potest esse turpius? Sed tamen hic corrector, in eo ipso loco quo reprehendit, immittit imprudens ipse senarium.* Atque his etiam verbis Correctoris corrector, nisi quòd quartus locus pro Iambo habet Choreum, (qui, totidem & temporum & syllabarum, solâ differt quantitatum transpositione) senarium ipse confecit.

(e) *Clausulæ* Orat perf. ¶ 39. *Plerique censere cadere tantùm numerosè oportere, terminarique sententiam.* Et Orat. l. 3 ¶. 31 *Clausulas diligentiùs servandas esse arbitror, quàm superiora; quòd in his maximè perfectio atque absolutio indicatur.*

(f) *Senis*

(f) *Senis.* Orat. Perf. ¶ 43. *Hos cùm in clauſula pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adjungo (quod minimum ſit) proximum ſuperiorem: ſæpe etiam tertium.*

(g) *Ex longis* Orat. perf. ¶. 43. *Fluit omnino numerus a primo, tum incitatiùs brevitate pedum; tum proceritate tardius: curſum contentiones magis requirunt; expoſitiones rerum tarditatem.* Sed non habet tam celeritas, quam tarditas, dignitatem & gravitatem: ſic enim Orator, Orat. Perf. ¶. 37. *Trochæum, qui eſt eodem ſpatio quo Choreus, a Cordacem appellant; quia contractio & brevitas dignitatem non habet.* Orat. Perf. ¶. 43. *Spondæus verò, etſi, quòd eſt è longis duabus, hebetior videtur & tardior; habet tamen ſtabilem quendam & non expertem dignitatis gradum.* item Q. l. 3. c. 8. *Pedes, quo longis ſyllabis magis ſtabiles; hoc graviorem faciunt orationem. breves celerem ac mobilem.* Cæterùm perverſa quantitatum collocatio, contrariâ corrigatur prolatione: brevia ſc. voce tardiori, & longa celeriori proferendo.

a Κόρδαξ ſaltatio comica, Theod. l. 5. c. 8.

(h) *Ex temperatione.* b *Commendatur itaque Creticus, & Pæan: qui quàm commodiſſimè putantur in ſolutam orationem illigari:* Vide Theod. l. 3. c. 8. *Pæan primus in primo viget, jacet in extremo; in Pæana quartum optimè cadere cenſent veteres. Probatur etiam Iambus & Dactylus: nec Spondæus repudiandus: Etſi enim, quod eſt è longis duabus, hebetior videtur & tardior, habet tamen ſtabilem quendam & non expertem dignitatis gradum: in conciſis membris multò magis: pauciorum enim pedum, gravitatis ſuæ tarditate compenſat. Dochmius* [i. Bacchius Iambus] *quovis loco aptus eſt: dum ſimul ponatur: iteratus aut continuatus, numerum apertum & nimis inſignem facit:* quemadmodum & cæteri pedes. Unde Orator, Orat. Perf. ¶. 37. *Ego autem ſentio omnes in oratione eſſe quaſi*

permistos & confusos pedes: nec effugere possemus animadversionem, si semper iisdem uteremur.

b Loco supra citato.

(i) *Dichoreus.* Orat. Perf. ¶. 43. *Cadit Dichoreus per se ipse præclaré.* Ut exemplis ibidem declaratur. *O Marce Druse, patrem appello:* In priori inciso sunt duo Chorei: in posteriori syllabam breven sequuntur c Jambicus Spondæus. *Et tu dicere solebas, sacram esse remp.* in priori sunt Choreus, Pyrrichius, Spondæus; in posteriori Choreus, Spondæus, Pyrrichius. Iterum, *Quicunque eam violâsset, ab omnibus ei pœnas esse persolutas.* In priori sunt Jambus, Pyrrichius, Choreus: in posteriori tres Chorei: nihil enim ad rem, extrema illa longa sit, an brevis. Deinde, *Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit.* In postremo Jambum sequitur Dichoreus: quo talis clamor concionis excitatus est, ut admirabile est. Verborum ordinem immutato, & fac sic, *Comprobavit filii temeritas*; jam nihil erit. At eadem verba, eadem sententia: animo istuc satis est, auribus non satis. Contrà si arripias dissipatam aliquam sententiam, eámque, ordine verborum paulùm commutato, in quadrum redigas; efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens, ac solutum. Sume de Graccho apud Censores illud, Orat. Perf. ¶. 26. *Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet.* Quantò aptiùs, ità dixisset? *Quin ejusdem hominis sit, qui imbrobos probet, probos improbare.* Ergo numeri gratiâ d Hyperbaton permittitur. Q. l. 8. c. 6. Fit enim sæpissime aspera & dura, dissoluta & hians oratio; si ad necessitatē ordinis verba redigantur: nec aliud potest sermonem facerè numerosum, quàm opportuna ordinis mutatio.

c *Neque enim ecthlipsis aut Syna æpha in prosa locum habet: Mare non elisum breve est. Vide supra Ecthlipsin omissam.*
d V. c. 34.

(k) *Variari debet.* Or. P. ¶. 43. *In oratoinis numero, nihil est tam vitiosum, quàm si semper est idem*

Et

Et postea, *Quod optimum est, id crebriùs fieri non oportet. Primùm enim numerus agnoscitur: deinde satiat: postea contemnitur. Commutationibus autem variis si utemur; nec deprehendetur manifestò, quod à nobis de industria fiat: & occurretur satietati.* Q. l. 9. c. 4. *Virtutes enim ipsæ tædium pariunt, nisi gratiâ varietatis adjutæ*

Numeri origo & usus.

Or. Perf. ¶. 33. *Qui Isocratem maximè mirantur, hoc in ejus summis laudibus ferunt, quòd verbis solutis numeros e primus adjunxerit. Cùm enim videret Oratores cum severitate audiri, Poetas autem cum voluptate; tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur; cùm jucunditatis causâ, tum ut varietas occurreres satietati.* Imò etiam ut multò majorem vim habeat. Or. Perf. ¶. 36. *Neque vero Demosthenis fulmina tantopere vibrarent, nisi numeris contorta ferentur.*

e Antiquiores tamen hujus artificii autores fuisse Thrasymachum & Gorgiam autor est infra Orator.

Atque hæc de Oratorio Pedum Numero: quem tamen elegantiùs & faciliùs variare, Usus quàm Ars, Praxis diserti Oratoris, quàm periti Rhetoris precepito edocebit.

CAP. XXI.

Figura dictionis in dimensione soni ejusmodi est; sequitur quæ est in soni repetitione: & quidem similis aut dissimilis. Similis continuè vel disjunctè. Continue est Epizeuxis aut Anadiplosis.

Epizeuxis seu Subjunctio est, quando sonus similis continuè in eadem sententia iteratur: idque vel in parte vocis, vel in voce integra.

Epizeuxis partis vel eſt principii, ut Georg. 1. *Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.* Et Met. 1. *O utinam poſſem populos reparare paternis*
Artibus: atque animos formatæ infunde e terræ!

Hic *S.* & *P.* ter, Abis, & *F* ſemel in dictionum initiis iterantur: nam præpoſitiones *re* & *in* Epizeuxin literæ nihil videntur impedire.

vel finis, ut De reſponſione Aruſp.

Titus Annius ad illam peſtem comprimendam, exſtinguendam, funditùs delendam natus eſſe videtur.

In ſequentibus eſt Epizeuxis vocis. Ter. And. *O Myſis, Myſis.* ver. 7. *Crux, Crux (inquam) infelici & miſero.* Virg. Eclog. 5.
Ipſa ſonant arbuſta, deus, deus ille, Menalca. Heroid. 21.
Si, niſi quæ facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua eſt, nulla futura tua eſt.

Interdum Parentheſis interponitur: res tamen eôdem recidit: quia, tanquam Parentheſis non ſit, geminatio illa continuatur. Philippic. 2. *Haſtâ poſitâ pro ædæ Jovis Statoris, bona (miſerum me, conſumtis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona (inquam) Cn. Pompeii Magni, voci acerbiſſimæ ſubjecta præconis.*

CAp. XVII.

ANadiploſis ſeu reduplicatio eſt, Quando ſimilis ſonus continuè in diverſis ſenten-

tentiis, id est in fine præcedentis & principio sequentis, repetitur. Eclog. 10. Virg.

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantùm mihi crescit in horas

Hæc figura ter iteratur, & eodem verbo. Catil. 1. *Hic tamen vivit: vivit? imò verò etiam in senatum venit.* Item, *Vivis & vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.* Item, *Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives: & vives, ità ut nunc vivis.* Heroid. 1.

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, & immensas increpat usque moras.
Increpet usque licèt, tua sim, tua dicar oportet:
Penelope conjux semper Ulyssis ero.

Georg. 4. Anadiplosis Epistrophen & Epanalepsin conjunctas habet.

——— *Oceanitides ambæ:*
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ.

Repetitur autem hîc Climax seu gradatio, quando nimirum Anadiplosis pluribus gradibus continuatur. Pro Milon: *Nec verò se populo solùm sed senatui commisit: nec senatui modò, sed etiam publicis præsidiis & armis: nec his tantùm, sed ejus potestati, cui senatus totam rempub. commisit.* Ad Heren. *Nam quæ reliqua spes libertatis manet, si illis, & quod libet, licet; & quod licet, possunt; & quod possunt, audent; & quod audent, faciunt; & quod faciunt, vobis molestum non est?*

CAP. XIII.

SEquitur repetitio soni similis disjunctè: & quidem in eodem loco, vel in diversis: in eodem est Anaphora, aut Epistrophe.

Anaphora est, quando sonus similis iteratur in principiis sententiarum. Agrar. I. *Tamen ne vexari rempub. contemni majestatem Populi Rom. deludi vosmetipsos diutiùs à tribuno plebis patiamini.* Catil. I. *Nihilne te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum civium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultúsque moverunt?* Georg. 4.

Te dulcis conjux, te solo in littore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.

Ovid. de Arte.

Tuta frequénsque via est per amici fallere nomen:
Tuta frequensque licèt sit via, crimen habet.

Pro Ameri. *Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt: causam dicit is, cui nihil præter calamitatem reliquerunt. Accusant, quibus occidi patrem Sexti Roscii bono fuit: causam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verùm etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum summè jugulare cupierunt: causam dicit is, qui etiam ad hoc judicium cum præsidio venit, nè hic ibidem ante oculos vestros trucidaretur. Denique accusant ii, quos populos poscit: causam dicit is, qui unus relictus ex nefaria illorum cæde restat.*

CAP

CAP. XXI.

EPistrophe est, quâ similis sonus in clausulis iteratur.

Hic autem Rhythmus quidam oratorius persæpe resonat, in membris paribus: quæ idcirco ὁμοιοτέλευτα, *similiter desinentia*, dicuntur.

Pro Pomp. *Ut ejus voluntatibus non modò cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedirint; sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.*

Hic tria prima membra fere senaria sunt: postremum est longius: neque æqualitatis similitudo sic exigenda erit.

Pro Milon. *Est enim hæc (judices) non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.*

Hic quatuor bini tanquam versus, æqualibus ferè interpirationibus interpuncti resonant: duo primi ternarii, *non scripta, sed nata*: duo sequentes plusquam duodenarii: duo sequentes iterum ternarii: postremi quaternarii.

Sed in propositis exemplis finis tantùm dictionis servatur: in sequentibus autem dictio ipsa iteratur. Philip. 2. *Doletne tres exercitus populi Romani esse interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius.* Ex Anaphora verò & Epistrophe conjunctus in Symplose. Agrar. 1.

Quis

Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem populi partem ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? idem Rullus. Mart. Lib. 2.

Capta tuam (pudet heu) ſed capio, Maxime, cœnã:
Tu captas aliàs: jam ſumus ergo pares.
Manè ſalutatum venio: tu aiceris îſſe
Antè ſalutatum: jam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidiq; anteambulo regis:
Tu comes alterius: jam ſumus ergo pares.

CAP. XX.

REpetitiones in eodem loco hæ ſunt; ſequentes duæ diverſis, Epanalepſis & Epanodos.

Epanalepſis eſt, quâ ſimilis ſonus in principio & clauſula ejuſdem ſententiæ repetitur. Verr. 4. *Saluti enim eorum potiùs conſulam, quàm voluntati.* Æneid. 1.

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa. Verr. 7. *Multi & graves dolores inventi, parentibus & propinquis multi.* Mart. 1. Ep. 3. 3.

Non amo te, Sabidi, nec poſſum dicere quare:
Hoc tantùm poſſum dicere, Non amo te.

Ovid. Faſt. l. 6.

Qui bibit indè furit: procul hinc diſcedite queis
Cura bonæ mentis: qui bibit indè furit.

CAP XXI.

EPanodos eſt, quâ ſonus ſimilis in principio & clauſula diverſa unam ſententiam, ſed intercedente Anadiploſi, iteratur. Verr. 3.

Habuit

Habuit honorem ut proditori, non ut amico fidem. Pro Planc. *Gratiam qui refert habet: & qui habet, eo quòd habet, refert.* Heroid. 2.
Demophoon, ventis & verba & vela dediſti:
Vela queror reditu, verba carere fide.
Eclog. 8.
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.
Cic. b *Veſtrum jam hoc factum deprehenditur P. C. non meum, ut pulcherrimum quidem factum, verùm, ut dixi, non meum, ſed veſtrum.*

a i. qua ſoni duo a ter in principio, alter in fine ſententiæ, ordine inverſo in ſequenti ſententia iterantur. b Citat Fabius l. 9. c. 3.

CAP. XXII.

FIguræ dictionis in repetitione ſonorum ſimilium ſic habent: in repetitione ſonorum leviter diſſimilium duæ ſequuntur, Paronomaſia & Polyptotum.

Paronomaſia eſt, cùm dictio, literæ aut ſyllabæ alicujus commutatione, ſignificatione quoque commutatur. Ver. 2. *Nam ut apertus in corripiendis pecuniis, ſic in ſpe corrumpendi judicii.* Catil. 1. *Ut non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe videatur.* Tale eſt illud Quintil. Lib. 9. Cap. 3. *Emit morte immortalitatem.* Martialis hinc joci materiam arripuit lib. 1. Ep. 99.
Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.

Inde

Indè etiam est illud Caronis, *De Orat.* *qui cùm cuidam dixisset, Eamus ad ambulatum, & ille, Quid opus est de? Imò verò, inquit, quid opus est te?*

CAP. XXIII.

Polyptoton est cùm ejusdem originis variis [a] casibus voces inter se consonant. Pro Cœl *Ipsius autem veneni quæ ratio fingitur? ubi quæsitum est? quo pacto? cui? quo in loco traditum?* Æneid. 4.

Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis. —— Verr. 7. *Certus locus, certa lex, certum tribunal. quæ hoc reservetur.* Et apud Quint. *Lib.* 9 *cap.* 3. *Non ut edam vivo, sed ut vivam edo.* Est etiam hîc Climax seu gradatio quædam: gradibus enim suis continuatur Polyptoton in vocibus dissimilibus; ut suprà Anadiplosis in similibus.

Ovid. 3. Fast.

Mars videt hanc, visámque cupit, potiúsque cupita.

Ad Heren. *Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* Eclog. 1.

Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem Cytisum sequitur lasciva capella.

[a] Significat hic casus omnem in voce variationem: sive per modum, tempus, personam casum genus vel numerum, ea fiat.

Ad Cap. 22. & 23.

¶ Iterantur in iisdem locis soni dissimiles, & quibus & similes: itaque non abs re fuerit, præcedentium

tium figurarum nomina huc transferre; ut repetitiones sonorum leviter dissimilium in Paronomasia & Polyptoto, suis etiam generibus distinguantur.

Epizeuxis in Paronomasia est Æneid. 2.

Fit via vi. ——

Epizeuxis in Polyptoto Met. lib. 15.

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestóque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriúsque animantem animantis vivere letho?

Anadiplosis in Paronomasia Æneid. 4.

Cui pharetra ex humeris, crines nodantur in aurum:
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Anadiplosis in Polyptoto. Met. 1.

Jamque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum quod pugnat utroque.

Anaphora in Paronomasia Met. 2.

Neu te dexterior tortum declinet ad anguem;
Neve sinisterior pressam rota ducat ad aram.

Anaphora in Polyptoto De resp. arusp.

Homines te propter pecuniam judicio liberârunt: hominibus injuria tui stupri dolori non fuit: homines tibi arma, alii in me, alii post in illum invictum civem dederunt: hominum beneficia prorsus conceda tibi.

Epistrophe in Paronomasia Quint. lib. 9. cap. 3.

Neminem posse alteri dare matrimonium, nisi penes quem sit patrimonium.

Epistrophe in Polyptoto Met. 1.

Oscula dat ligno: refugit tamen oscula lignum.

Symploce in Paronomasia Catil. 1.

Ut exul potiùs tentare, quàm consul vexare rempub possis.

Epanalepsis in Paronomasia Met. 1.

Ungulâque in quinos dilapsa absumitur ungues.

Epanalepsis in Polyptoto Catil. 1.

Vives: & vives, ità ut nunc vivis.

Epanodos in Paronomasia Orat. ad Brut.

Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare.

Epa-

Epanodos in Polyptoto Met. 4.

Umbra viri viſa eſt, viſ fera ſævit in umbram.

Elegiar. l. 2. El. 19. *Quod ſequitur, fugio: quod fugit, ipſe ſequor.*

Heroid. 16. *At tu diſſimula, ni tu deſiſtere mavis: Sed cur deſiſtas? diſſimulare potes.*

Et pro Cæcin. *Quia res indigna ſit, ideo turpem exiſtimationem ſequi: quia turpis exiſtimatio ſequitur, ideo rem indignam non vindicari.*

Porrò in omnibus verborum figuris, ſi repetitus ſonus diverſa ſignificet, Antanaclaſis dicitur.

Antanaclaſis in Anaphora eſt Mart. l. 2.

Quis neget Æneæ natum de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Ant. in Epiſtrophe, Epiſt 15. l. 14. ad Attic.

Quid ergo? iſta culpa Brutorum? Minimè illorum quidem, ſed aliorum brutorum, qui ſe cautos ac ſapientes putant.

Ant. in Epanalepſi, Q. l. 9. c. 3.

Amari jucundum eſt ſi curetur, ne quid inſit amari.

Ant. in Epizeuxi Polypt. Ovid Faſt. 7.

Cur ego non dicam, Furia, te furiam?

Et in Epiſt. Polypt. Q. l. 9. c. 3.

Cùm Proculeius quereretur de filio, quòd mortem ſuam exoptâſſet; & ille diviſſet, ſe verò non exſpectare; imò, inquit, rogo exſpectas.

CAP. XXIV.

FIgura dictionis ejuſmodi eſt. Figura ſententiæ eſt figura, quæ totam ſententiam aliquo animi motu afficit.

Virilem autem quandam dignitatem, præ ſuperiorum molli & delicata venuſtate, obtinet: ut illic color & ſanguis orationis, hic nervi thoraque eſſe videantur. Itaque ait in Bruto Tullius, Quia ſententiarum ornamentis & conformationibus præſtat Demoſthenes,

nes, idcirco à doctis oratorum eſt princeps judicatus. Et rurſus in Oratore idem confirmat: Sic igitur Tullius elocutionis principatum huic poſtremo ornamentorum generi attribuit: & certè nullis flectendorum animorum machinis elocutio violentior eſſe poteſt. Denique ut ſuperior illa & troporum & in dictionibus figurarum elocutio, ad delectandum & docendum multùm valet; hæc etiam (quod in dicendo caput eſt) ad movendum & pervincendum plurimùm valebit.

Figura ſententiæ eſt in logiſmo, aut dialogiſmo: Logiſmus eſt, quando ſine collocutione ſententia figuratur: éſtque Ecphoneſis. & ſui ipſius Revocatio; Apoſtrophe & Proſopopœia.

Ecphoneſis eſt figura in logiſmo, per adverbium exclamandi expreſſum, vel intellectum: magnum prorſus animi commovendi inſtrumentum, & quidem affectuum variorum.

Modò admirationis: Pro Marcello. *O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentiſque decorandam!*

Modò irriſionis: Ibid. *O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! O amentem Paulum! ruſticum Marium!*

Modò optationis: Heroid. 1.

O utinam tunc cùm Lacedæmona claſſe petebat,
Obtutus inſanis eſſet adulter aquis!

Pro lege Man. *Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium tantam copiam haberemus, ut hæc deliberatio vobis difficilis eſſet, quem-*

quemnam potiſſimùm tanto bello præficiendum putaretis!

Hujus generis eſt deprecatio, & imprecatio. Æneid. I.

Dii tibi (ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti)
Præmia digna ferant! Æneid. 2.

At tibi pro ſcelere (exclamat) pro talibus auſis
Dii (ſi quæ cœlo pietas quæ talia curet)
Perſolvant grates dignas.

Modò indignationis: in Piſon. *O ſcelus! O peſtis! O labes!*

Modò deſperationis: Pro Milon. *O fruſtrà mei ſuſcepti labores! O ſpes fallaces! O cogitationes inanes meæ!*

Proh adhibetur ſæpe ad oſtentationem: ut Ter. And. *Proh deûm atque hominum fidem! quid eſt ſi hæc contumelia non eſt?*

En aliquando triſte quid & miſerabile præ ſe fert. Eclog. I.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia cives
Perduxit miſeros! en queis conſevimus agros!

Ah, heu, & *eheu*, ſunt commiſerationis. l. I. Officiorum *O domus antiqua! heu quàm diſpari dominaris!* Eclog. 2.

Heu quid volui miſero mihi? floribus Auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.
Quem fugis ah demens? ——

In quibus Interrogatio inſtantiùs urget: & eſt

eſt ſeriis, gravibúſque cauſis opportuna.

Epiphonema quoque ſpecies eſt Exclamationis, quæ ad finem rei narratæ & explicatæ addi ſolent: ut cùm Virgilius expoſuiſſet omnes cauſas, quibus Juno Romanos perſequebatur, tandem acclamat, Æneid. 1.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

CAP XXV.

REvocatio ſui ipſius eſt, quando revocatur quidpiam: & eſt ardentioris ſermonis velut refrigeratio: eſtque Epanorthoſis, aut Apoſiopeſis.

Epanorthoſis eſt, quando antecedens aliquid corrigendo revocatur. Ep 1. *Erat hoc mihi dolendum, ſed multò magis illud, quod inimicum meum, meum autem? imò verò legum, judiciorum, otii, atque patriæ, bonorum omnium ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic favebant, ſic, me preſente, oſculabantur.* Ter. Heaut. *Filium unicum adoleſcentulum habeo: ah quid dixi? habere me? imò habui Chreme; nunc habeam necne incertum eſt.* Hîc præteritum aliquod dictum revocatur: in ſequentibus curſus orationis antecedens revocatur, & quaſi pœnitentia facti ſignificatur. Pro Ligario. *Sed nimis urgeo: commovere videtur adoleſcens.* Pro Cœl. *Sed quid ego tàm gravem perſonã induxi?* Ad Fratr. *Sed neſcio quo pacto ad præcipiendi rationẽ relapſa eſt oratio mea, cùm id mihi propoſitũ initio non fuiſſet.*

CAP.

CAP XXVI.

APosiopesis est, quâ sententiæ inchoatæ cursus revocatur, partem aliquam, quæ tamen intelligatur, reticendo.
Ter Eun. *Ego te, furcifer, si vivo.* Æneid. 1.
Jam cœlum, terrá que, meo sine numine, venti,
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

CAP XXVII.

LOgismus exclamationis & revocationis ità est: sequitur qui est in Apostrophe, & Prosopopœia.

Apostrophe est, quando oratio ad alienam personam convertitur, quàm instituta oratio requirit: figura non nunquàm cedens, elationis genere, Exclamationis, & persæpe cum ea conjungitur. Sed Apostrophe ex conditione personarũ variè distingui potest: aliàs enim ad humanam personam fit aversi: Pro Muræna, Tullius à judicibus, ad quos oratio instituta erat, ad Catonem, qui apologiam hanc reprehenderat, se cõvertens; *A quo tandem* (ait) *M. Cato, est æquius Consule defendi, quàm à Consule?* &c. Aliàs ab hominibus ad deos, fit aversio: in qua insignis est apud poetas invocatio, Metamorph. 1.

—— *Dii cœptis (nam vos mutastis & illas)*
Aspirate meis: primâque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Sic

Sic Æneid. 1. Cùm Poeta propoſuit ſummam & ſin totius Æneidos, tum ſic avertitur ad Muſam:

Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo,
Quidve dolens regina deûm tot volvere caſus
Inſignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit: tantæne animis cœleſtibus iræ?

Aliàs ad rem mutam & inanimatam, velut ad perſonam, transfertur oratio. Pro Milone, *Religiones mehercule ipſæ, atque cùm illam belluam cadere viderunt, commoviſſe ſe videntur, & jus in illo ſuum retinuiſſe. Vos enim, Albani tumuli, atque luci, vos (inquam) imploro atque obteſtor; vó quæ Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum Populi Rom. ſociæ atque æquales, quas ille præceps amentiâ, cæſis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum immanibus molibus oppreſſerat.* Hæc figura ratò quidem, ſed tamen aliquando, protinus in procœmio adhibetur. Cat. 1. *Quouſq; tandem, Catilina, abutêre patientiâ noſtrâ? quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet? quem ad finem ſeſe effrænata jactabit audacia?* Hic verò in ſenatures agitur: ideòque directus ſermo ad patres, unde averſio intelligitur.

CAP XXVIII.

PRoſopopœia eſt, quâ alienam perſonam oratione noſtrâ loquentem fingimus.

Hic verò ornamentum elocutionis ſingulare eſt, magnæque in primis audaciæ: ideóque magno conſi-

lio

lio judicióque regendum, ut conſentanea perſonis oratio tribuatur. Poëticum ſanè ornamentum, & quo uno poëtarum laudes præcipuè dijudicantur. Itaque ſi uſquam, certè in hac conformatione ratio decori diligenter habenda eſt: qua de re bene monet Poëta in Arte.

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites peditéſque cachinnum.
Intererit multum Davúſne loquatur, herúſve:
Maturúſne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus: an matrona potens, an ſedula nutrix:
Mercatórne vagus, cultóve virentis agelli:
Colchus, an Aſſyrius; Thebis nutritus, an Argis.

Et ibidem —— *Triſtia mœſtum*
Vultum verba decent: iratum plena minarum:
Ludentem laſciva: ſeverum ſeria dicta.

Proſopopœia eſt imperfecta vel perfecta.

Proſopopœia imperfecta eſt, cùm ſermo alienæ perſonæ leviter & obliquè repræſentatur. Cæſar. 1. Com. de legatis Helvetior. *Qui dicerent ſibi in animo eſſe, ſine ullo maleficio iter per provinciam facere, propterea quòd iter nullum haberent aliud: rogare ut ejus voluntate id ſibi facere liceat.* pro lege Man. *Hi vos (quoniam liberè loqui non licet) tacite rogant, ut ſe quoque ſicuti cæterarum provinciarum ſocios, dignos exiſtimetis, quorum ſalutem tali viro commendetis.*

Proſopopœia perfecta eſt, cùm tota fictæ perſonæ oratione noſtrâ repræſentatur: quo in genere & acceſſus ad Proſopopœiam, & receſſus decorus inprimis eſſe debet. Sic pro Cœl. excita-

excitatur Appius cæcus ad objurgandum Clodiæ libidinem. *Exsistat igitur* (ait orator) *ex hac familia aliquis, ac potissimùm cæcus ille* (*minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit*) *qui profectò si exstiterit, sic aget, & sic loquetur:* Hîc accessus est & apparatus ad speciem quandam prolusionis; deinde vox & oratio Appii fingitur. *Mulier, quid tibi cum Cælio? quid cum homine adolescentulo? quid cum aliuno?* &c. ad quam Prosopopœjam deponendam, brevis revocatio ad extremum ponitur his verbis. *Sed quid ego* (*judices*) *ità graven personam induxi? ut & verear, ne se idem Appius repentè convertat, & Cœlium incipiat accusare illâ suâ gravitate censoriâ.* Sic Æneæ Prosopopœiam Virgilius Æneid. 2 composuit, cùm Æneas sociis cibum vinúmque

Dividit, & dictis mœrentia pectora mulcet.
O socii (*neque enim ignari sumus antè malorum*)
O passi graviora! dabit Deus his quoq. finem, &c.

Tandem sic Prosopopœiam claudit:

Talia voce refert. ——

Eâdem figurâ licet mutis & inanimatis rebus sermonem dare: cujusmodi illa sunt, in Catilinam, majorum laterum, cùm patriam loquentem orator inducit. *Si te* (ait) *parentes timerent atque odissent tui, neque illos ullâ ratione placare posses; ut opinor, ab eorum oculis aliquò concederes: nunc te patria, quæ communis est omnium nostrûm parens, odit ac metuit;*

&

& jam diu de te nihil judicat, niſi de parricidio ſuo cogitare. Hujus tu neque autoritatem verebere, neque judicium ſequêre, neque vim pertimeſces? quæ tecum (Catilina) ſic agit, & quodammodo tacita loquitur. Nullum jam tot annos facinus exſtitit, niſi per te: nullum flagitium, ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptióque ſociorum impunita fuit ac libera: tu non ſolùm ad negligendas leges & quæſtiones, verùm etiam ad evertendas, perfringendáſque valuiſti. Superiora illa, quamquam rendа non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc verò me totum eſſe in metu propter te unum, quicquid increpuerit Catilinam timeri, nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe: ſi eſt verus, nè opprimar; ſin autem falſus, ut tandem aliquando timere deſinam. Hæc ſi tecum, ut dixi, patria loquatur; nonne impetrare debeat, etiamſi vim adhibere non poſſit? Hîc vides quam decorè & ſuſcepta & depoſita ſit perſona.

Sed ſatis de Prolopopeiæ (hemate: quo, tanquam aliquo in ſcenis pegmate, quævis non ſolùm hominum, ſed etiam deorum perſona à poëtis effingitur. Quapropter iſto poëtico ſpiritu orator velut afflatus imprimis admirabilis eſt.

CAP. XXIX.

LOgiſmus ſententiarum adhuc fuit, ſequitur dialogiſmus; cujus duæ ſunt partes Hypophora

pophora & Anthypophora. Eſt autem Dialogiſmus duplex, Conſentiens & Diſſentiens. Diſſentiens eſt cujus Reſponſio Objectioni adverſetur. Figura diſſentientis Dialogiſmi eſt, vel Deliberatio, vel Occupatio. Deliberatio eſt Aporia, aut Anacœnoſis.

Aporia eſt Deliberatio nobiſcum. Pro Cluentio. *Equidem, quod ad me attinet, quò me vertam neſcio: negem fuiſſe illam infamiam corrupti judicii? negem illam rem agitatam in concionibus, jactatam in judiciis, commemoratam in Senatu? evellam ex animis hominum tantam opinionem, tam penitus inſitam, tam vetuſtam?* Reſponſio. *Non eſt noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt (judices) hujus innocentiæ, ſic in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua perniciociſſima flamma, atq; in communi incendio, ſubvenire.* Æneid. 4. *En quid agam? rurſúſne procos irriſa priores*
Experiar? Nomadúmq; petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes, atque ultima Teucrum
Juſſa ſequar?

Tandem reſponſio addubitationis ſequitur:
Quin morire, ut merita es, ferróq; averte dolorē.
Inſigne Aporiæ exemplum eſt. Met. 8. ubi poëta Althean de Meleagri [filii ſui] morte ſecum deliberantem artificioſe deſcribit.

CAP. XXX.

ANacœnoſis eſt deliberatio cum aliis: Pro Quinct. *Quæro à te, C. Aquili, L. Luculle,*

P. Quintili, M. Marcelle: vadimonium mihi non obiit quidam ſocius & affinis meus (qui cum neceſſitudo vetus, controverſia de re pecuniaria recens intercedit) poſtulone à Prætore, ut ejus bona poſſidere mihi liceat? an cùm Romæ domus, uxor, liberi ſint, domum potiùs denunciem? quid eſt quod hac tandem de re vobis poſſit videri? Reſponſio communicationis ſequitur: *Profectò ſi rectè benitatem veſtram atque prudentiam cognovi, non multùm me fallit, ſi conſulamini, quid fitis reſponſuri: primùm exſpectare, deinde ſi latitare ac diutiùs ludificare videatur, amicos convenire, quærere quis procurator ſit, domum denunciare: dici vix poteſt quàm multa ſint, quæ reſpondeatis antè fieri oportere, quàm ad hanc rationem extremam ac neceſſariam devenire.*

Huic generi ſubeſt Suſtentatio: (1) per quã, ſuſpenſis in Communicatione auditorum animis; Paradoxon aliquod [i inopinatum ſeu inexſpectatum] ſubjicitur: ſive illud majus ſit, ſive minus.

(1) Sic enim Q. a Sed nonnunquam Communicantes aliquid inexſpectatum ſubjicimus: ut Ver. *Quid deinde? Quid cenſetis? Furtum fortaſſe aut prædem aliquam:* deinde cùm diu ſuſpendiſſet judicum animos, ſubjecit quod multò eſſet improbius. Hoc Celius Suſtentationem vocat. Eſt autem duplex: nam, contrà, frequenter, cùm exſpectationem graviſſimorum fecimus, ad aliquid, quod ſit leve, ut nullo modo criminoſum deſcendimus.

a Lib. 9. cap. 12.

Sed

Sed ibidem monet Rhetor, Paradoxon extra Communicationem fieri poſſe. Ut oſtendit illud Terentii, b *In me quidvis harum rerum convenit, quæ ſunt dicta in ſtultum: Caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus: in illum nihil poteſt: Nam exſuperat ejus ſtultitia hæc omnia.*

b Heaut. 5. 1.

CAP. XXXI.

DEliberationis dialogiſmus ejuſmodi eſt: Occupationis ſequitur, cùm alieni conſilii Objectionem occupamus, eíque Reſponſionem ſubjicimus. Itaque dialogiſmus hic a priore parte Prolepſis, à poſteriore Proſapodoſis dicitur. Prolepſis Proſopopœiam conjunctam habet: ideóque aliàs obliqua, aliàs directa eſt. Prolepſis Obliqua eſt, quæ habet imperfectam Proſopopœiam. Pro Amer. *Credo ego vos (judices) mirari, quid ſit quòd cùm tot ſummi oratores hominéſque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimùm ſurrexerim*, &c. Tandem Proſapodoſis adhibetur: *Quæ me igitur res præter cæteros impulit, ut cauſam Sexti Roſcii reciperem?* &c. Sic pro Cœlio: *Si quis (judices) fortè nunc adſit ignarus legum, judicioum, conſuetudinis noſtræ*; Subjectio, *miretur perfectò*, &c. Eſt prolepſis hæc procœmiis valde accommodata. Prolepſis Directa eſt, quæ perfectam Proſopopœiam habet. Pro Cœlio. *Dicet aliquis, Hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? ob hanc cauſam tibi hunc puerũ parens cõmendavit & tradidit, ut in amore & voluptatibus*

tibus adoleſcentiam ſuam collocaret? & hanc tu vitam & ſtudia defenderes? Proſapodoſis ſuccedit, *Ego, ſiquis (judices) hoc robore animi, atque hâc indole virtutis ac continentia fuit, ut reſpueret omnes voluptates, omnémque vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret, quem non quies, non æqualium ſtudia, non ludi, non convivia delectarent, nihil in vita expetendum putaret, niſi qu[illegible]et cum laude & cum dignitate conjunctum; hunc, meâ ſententiâ, divinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto.* Dialogiſmus continuatior eſt. pro Quinct. *De re pecuniaria cupio contendere,* (inquit orator) *Non licet.* Occupatio eſt conſilii adverſarii. Subjectio ſequitur: *At ea controverſia eſt.* Occ. *Nihil ad me attinet: cauſam capitis dicas oportet.* Sub. *Accuſa ubi ità neceſſe erit.* Occ. *Non (inquit) niſi tu antè, novo modo, priore loco dixeris.* Sub. *Dicendum neceſſario eſt: præſtituendæ horæ ad arbitrium noſtrum: judex ipſe acceßetur.* Occ. *Quid tum? Tu aliquem patronum invenies, hominem antiqui officii, qui ſplendorem noſtrum, & gratiam negligat? Pro me pugnabit L. Philippus, eloquentiâ, gravitate, honore, florentiſſimus civitatis dicet Hortenſius, excellens ingenio, nobilitate, exiſtimatione: aderunt autem homines nobiliſſimi ac potentiſſimi, quorum frequentiam & conſeſſum non modò P. Quinctius, qui de capite decernit; ſed quivis, qui extra periculum ſit perborreſcat*

reſcat. Subjectio poſtrema Ironiam habet. *Hæc eſt iniqua certatio, quâ tu huic, nè ubi conſiſteret quidem contra te, locum reliquiſti,* &c.

CAP. XXXII.

Figura Conſentientis Dialogiſmi eſt, cujus Reſponſio Objectionem expreſſam vel intellectam admittit: ità tamen ut Queſtionis exinde inconſequentia (ſi opus eſt) oſtendatur. Eſt autem Epitrope, aut Synchoreſis.

Epitrope eſt, cùm facti cujuſpiam licentia condonatur. Agrar. 2. (Ob.) *Si quid eſt quod indagâris, inveneris, ex tenebris erueris; quanquam iniquum eſt,* (Reſp) *Tamen conſume ſanè, quoniam commodum eſt, quoniam tu quidem attuliſti*: (Inconſ.) *Sylvam verò tu Scantiam vendas, nobis Conſulibus, atque hoc Senatu?*

Aliquando Ironia permiſcetur. Æneid. 4.

(Ob.) —— *Nunc & Jove miſſus ab ipſo,*
Interpres divûm fert horrida juſſa per auras.
Scilicet is Superis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat: (Reſp.) *atque te teneo, neque dicta refello.*
I, ſequere Italiam ventis: pete regna per undas.
(Inconſ.) *Spero equidem mediis, ſiquid pia numina poſſunt,*
Supplicia hauſurum ſcopulis. ——

Ironia in ſequenti exemplo apertior eſt. Pro Flacco. Objectio intelligitur: Reſponſio eſt *Luemus igitur Lentulo: parentemus Cethego, revoce-*

mus ejectos: nimiæ pietatis & ſummi amoris in patriam viciſſim nos pœnas (ſi ità diis placet) ſufferamus.

CAP. XXXIII.

SYnchoreſis eſt, cùm dictum aliquod aut argumentum condonatur. Verr. 7. Objectio fuit Oratoris, quam multorum probavit Teſtimoniis. Reſponſum eſt Amicorum Verris: *Sit ſacrilegus, ſit fur, ſit flagitiorum omnium vitiorúmq; princeps:* (Inconſ.) *at eſt bonus Imperator.*

Æneid. 7. Objectio in Reſp. continetur.

Non dabitur regnis (eſto, prohibere Latinis:
(Inconſ.) *At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.*

Pro Flacco Objectio intelligitur, *Homines ſc. Græcos in plurimis rebus excellere.* Cui reſpondetur, *Tribuo Græcis literas: do multarum artium diſciplinam: non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno.* (Inconſ.) *Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit.* Item pro Rabirio: (Ob.) *At fuit cum Saturnio veſter patruus.* (Reſp.) *Fuerit: & fuerit nullâ deſperatione rerum ſuarum, nullis domeſticis vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas, ut amicitiam patriæ anteponeret:* (Inconſ.) *Idcirco oportuit C. Rabirium deſciſcere à republica?*

Delectat hoc ornamentum in oratione, præcipuè,

cipuè, cùm id concedimus, quod ei cui conceditur, nocet: ut sæpe fit in contentionibus & controversiis. Pro Ligario objectio fuit Tuberonis accusatio: Responsio est, *Habes igitur, Tubero, (quod est accusatori maximè optandum) confitentem reum:* (Inconf.) *sed tamen hoc ità confitentem, se in ea parte fuisse, quâ te, Tubero, quâ virum omni laude dignum patrem tuum. Itaq; priùs de vestro delicto confiteamini necesse est, quàm Ligarii ullam culpam reprehendatis,*

ATque hæc de ornamentis Elocutionis: quæ quò plura concurrerint, eò pleniorem ornatum orationis efficiant necesse est: ut in illo exemplo Ligarianæ defensionis, *Certe contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Hîc metonymiæ variæ sunt *gladius armorum*, pro subjecto *homine*: sed Metaphoræ sunt illustriores, *ardor*, imprimisque illæ, sensum & actum tribuentes rebus inanimatis *gladio*, *mucroni*, *armis*, *agebat*, *petebat*, *sensus* tum Synecdochæ, *mucro* pro *gladio*, *latus* pro *toto homine*: tum in verbis, *agebat*, *petebat*, *cupiebas*, *optabas*, sunt Epistrophæ finis: denique sin sententia tota est Apostrophe vehementis & instantis Interrogationis. Quibus omnibus troporum figurarùmque generibus sic usus orator esse dicitur, ut Cæsari quamvis & judici & adversario, tamen, velut incantato & stupefacto, color variè mutatus sit, & libelli quidam è manibus exciderint. Illa videlicet Platonis γοητεία fuit, illáque flexanima domináque summi Imperatoris oratio.

CAP. 34. sive
Appendix de figuris secundariis.

PRimariis hisce dictionis & sententiæ figuris adiiciantur totidem, in utroque genere, secundariæ. 1. Eclipsis, 2. Pleonasmus, 3. Asyndeton, 4. Polysyndeton, 5. Hyperbaton, 6. Zeugma, 7. Antithesis, 8 Græcismus: item 1. Parrhesia, 2. Erotesis, 3. Parenthesis, 4. Paralhesis, 5. Periphrasis, 6. Synonymia, 7. Hypotyposis, 8. Præmunitio, 9. Transitio, 10. Rejectio.

Figuræ dictionis. 8.

Ellipsis est, quando verbum aliquod, in constructione necessarium, omittitur, ad exprimendum affectum. Ità Admirationem præ se fert imperfecta illa Veneris locutio, Æneid. 1. *Sed vos qui tandem?* ubi omittitur *estis*: & illa Phamphili, Indignationem. And. A. 1. S. 5, *Tantámne rem tam negligenter agier?* ubi deest *decet*. Q. Desinit esse, cùm subtractum verbum aliquod, satis ex cæteris intelligitur: ut Cœlius in Antonium, *Stupere gaudio Græcus*, Simul enim auditur, subauditur *cœpit*.

Pleonasmus est, quando verbum aliquod in oratione redundat: indicat autem, cum Emphasi, vehementiam aut certitudinem: ut *Ubi gentium? Hisce oculis vidi.* Sed qui talem Emphasin non habet, otiosus est, & vitiosus. Emendavit hoc non inurbanè in Hircio Cicero: qui, cùm ille in Pansam declamans, *filium à matre decem mensibus in utero latum esse dixisset*, *Quid?* (inquit) *aliæ in penula solent ferre?*

Asyndeton est, quando in vocabulorum congerie omittitur conjunctio copulativa, ob celeritatem & acrimoniam: qua de re sic Plutarchus. *Asyndeton fit non modò celeritatis, sed etiam Emphasios pathetícæ gratiâ.* Et Fabius, Lib. II cap. 3. *Quia conjunctionibus caret, Dissolutio vocatur: apta, cùm quid instantiùs dicimus:*

Nam

Nam & singula inculcantur, & quasi plura fiunt: ut, Adelp. A. 3. S. 2. *Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest: vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia:* Ubi singulæ voces Asyndetæ, sunt Emphaticæ. Sic Ibidem. *Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerem.* Hic si verba conjunctionibus copulentur, languet stricta vis & impetus orationis.

Polysyndeton est, quando conjunctiones, ob orationis gravitatem, neque etiam sine Emphasi, redundant: ut

Et properare loco, & cessare, & quærere, & uti, Hor. ep. 7. l. 1.

Et Liv lib. 8. Dec. 3. *somnus, & vinum, & epulæ, & scorta &, balneæ, corpora atque animos enervant.* De his ità Q. Lib. 11. cap 3. *Contrarium est Schema, quod conjunctionibus abundat: illud Asyndeton, hoc Polysyndeton dicitur, utrumq; horum Coacervatio. Fons quidem unus: quia acriora facit & instantiora quæ dicimus, & vim quandam præ se ferentia, velut sæpius erumpentis affectûs.*

Hyperbaton est verborum, à recta constructionis ordine, in alium concinniorem, elegantiæ & varietatis ergô, transpositio: ut in primo primæ orationis sententia. *Quæ res in civitate duæ plurimùm possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore: summa gratia & eloquentia: quarum alteram (C. Aquilli) vereor, alteram metuo: eloquentia Q. Hortensii, nè me dicendo impediat, nonnihil commoveor: gratia Sex. Nævii, nè P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimesco.* Naturalis enim ordo longe diversus est: *Gratia & eloquentia summa quæ duæ res possunt plurimùm in civitate, ambæ eæ faciunt contra nos in hoc tempore: quarum vereor alteram, (C. Aquilli) metuo alteram: commoveor nonnihil, nè eloquentia Q. Hortensii impediat me dicendo: pertimesco, verò id non mediocriter, ne gratia Sex. Nævii noceat P. Quinctio.* Quàm hic ordo absonus, quàm ingratus sonet? Hæc de re sic Quinctilianus, Lib. 8. cap. 6. *Hyperbaton* [*i. verbi transgressionem*] *quam frequenter ratio compositionis & decor poscit, non immerito*

ritò inter virtutes habemus. Fit enim frequentiſſime aſpera, & dura, & diſſoluta, & hians oratio; ſi ad neceſſitatem ordinis verba redigantur: Differenda igitur quædam, & præſumenda: atque, ut in ſtructuris lapidem impolitorum, loco, quo convenit, quidque ponendum: nec aliud poteſt ſermonem facere numeroſum, quàm opportuna ordinis mutatio.

Zeugma eſt, cùm verbum aliquod aut adjectivum, ſemel in ſententia expreſſum, ad plura, diverſorum generum, numerorum, aut perſonarum, ſuppoſita refertur, cum quorum proximioti concordat. Eſt autem triplex.

Protozeugma, cum vox illa communis exprimitur in principio: ut Eclog. 1.

Sunt *nobis mitia poma,*
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.

Meſozeugma, cùm in medio: ut Eclog. 5.

Semper honos, nomènque tuum, laudéſque manebunt.

Eclog. 7. *caper tibi ſalvus & hœdi.*

Hypozeugma, cùm in fine: ut Brutus ¶ 140. *Ego mihi illum, ſibi me ille anteferebat.*

Eſt item Zeugma quoddam, quando vox communis, aut cum ſingulis, aut cum omnibus ſuppoſitis, concordat: ut Pro Cluent. *Vicit pudorem* libido, *timorem* audacia, *rationem* amentia. Liv. *Cùm terrâ* Nabis, Lacedæmoniique; *mari* Romana claſſis urgebant.

Antitheſis eſt, cùm Oppoſita, ſeu Antitheta, in oratione invicem reſpondent. Eſtque vel ſingularis, vel gemina.

Singularis: ut Pro leg. Man. *Hujus orationis difficilius eſt* exitum, *quàm* principium *inveniri.*

Hor. Sat. 1. l. 1. Parvula *nam exemplo eſt* magni *formica laboris.*

Mart. E. 72. l. 7. *Quiſquis* ubique *habitat*, *Maxime* nuſquam *habitat.* Cùm Oppoſita commutantur, per Epanodun, Antimetatheſis dicitur: ut, Q. l. 9. c. 3. *Non ut edam, vivo; ſed ut vivam, edo.* Et Plin. Paneg.

Nam

Non ideo vicisse videris, ut triumpharet; sed triumpharet, quia vincere.

Gemina Antitheſis ſingulariter delectat: ut And. A. 1. S. 1. *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Heren. l. 4. *Habet aſſentatio jucunda principia; eadem exitus amariſſimos affert.* Pro Quinct. *Ut, cùm veritas cum hoc faciat, plus hujus inopia poſſit ad miſericordiam, quàm illius opes ad crudelitatem.*

Elegantiſſima autem eſt Antitheſis, in qua oppoſita oppoſitis ſæpius reſpondent: ſive ſingula ſingulis, ut, Pro Poſthum. *Egentes in locupletes, perditi in bonos, ſervi in dominos, armabantur*; ſive gemina geminis: ut, Verr. Act. 5. *Conferte hanc pacem cum illo bello; hujus prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto; hujus libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas, dicetis Syracuſas.*

Græciſmus, ſive Helleniſmus, eſt, quando conſtructio Græcæ linguæ propria, in ſermone Latino uſurpatur: ut, *nobis non licet eſſe tam diſertis.* (Terentius, utique, *Vobis expedit eſſe bonas*) Et

—— *didiciſſe fideliter artes*
Emollit mores. —— Hunc Græciſmum Ed. Spencer, etiam in lingua vernacula, non inelegánter uſurpat.

For not to have been dipt in Lethe *Lake,*
Could ſave the ſon of Thetis *from to die,* vid. c. 13.

His ſuperadditur Hyſterologia ſive Hiſteron proteron, cùm, in oratione, quod naturæ ordine præcedit, ſequitur: ut, *Valet atque vivit.* Item.

Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit.

Sed ea, quemadmodum Antiptoſis & Hypallage, inventa videtur, magis ut autorum ſive licentiam ſive erratum excuſet; quàm ut idem nobis licere oſtendat

Neque

Neque enim magis probatur iſtud Hyſteron proteron, quàm aut Antiptoſis, cùm caſus pro caſu ponitur, ut Eun. A. 4. S. 3. *Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas dedit?* ut item in Prologo Andriæ:

Urbem, quam ſtatuo, veſtra eſt: —— aut Hypallage, cùm duæ dictiones commutant caſus: ut, Æneid. 1.

—— *dare claſſibus auſtros*: pro *dare claſſes auſtris.*

Et *gladium vaginâ vacuum in urbe non vidimus.* Pro vaginam gladio vacuam

Sequuntur Figuræ ſententiæ. 8.

PArrheſia eſt, cùm rem invidioſam aut odioſam liberè eloquimur, apud eos quos vereri debemus: Et eſt duplex: vel quâ crimen nobis intentatum confidenter fatemur, & defendimus; vel quâ aliis crimina audacter objectamus, & reprehendimus.

Prioris exemplum eſt pro Ligario: *Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam magna ex parte; nullâ vi coactus, judicio meo ac voluntate, ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumta contra te*, &c. Defenſionis excuſationem mox ſubdit, *Quid autem aliud egimus, Tubero, niſi ut, quod hic poteſt, nos poſſemus?* Et pro Sylla, *Adeſte animis, qui adeſtis corporibus: erigite mentes auréſque veſtras: & me de invidioſis rebus, ut ille putat, attendite.* Deinceps totam criminationem, de Catilina & Lentulo puniendis, liberè fatetur: ſed ita, ut, pro invidia, gloriam & gratulationem extorqueat etiam inimicis. *Ego Conſul cùm exercitus perditorum civium* —— *pœnâ redemi.*

Peterioris eſt in Verrem. Nam, in Exordio primæ Actionis, judicibus ipſis judiciorum infamiam palàm objicere non veretur. *Inveteravit jam opinio perniciosa reipub. nobiſque periculoſa, quæ non modò Romæ, ſed & apud exteras nationes, percrebuit, His judiciis, quæ nunc ſunt, pecuniosum hominem, quamvis ſit nocens, neminem poſſe damnari.* Et in Epilogo actionis ultimæ, cum eadem loquendi Parrheſia, iiſdem audacter minitatur: *Siqua vis iſtum de veſtra ſeveritate eripuerit,*

populus

populus R. brevi jus suum, me agente, recuperabit: ac si de mea —— crescere licebit. Quamvis liberam hanc & minitationem & reprehensionem, seriâ sui in eos favoris & benevolentiæ professione, emollire videtur. *Sed mehercule vestrâ reique publicæ causâ, judices, nolo, in hoc delecto consilio, tantum flagitium esse commissum: nolo eos judices, quos ego probarim atque delegerim, sic in hac urbe notatos, isto absoluto, ambulare, ut non cerâ, sed cœno obliti esse videantur.*

Erotesis est locutio, quâ aut scisscitamur; ut Eclog. 3.

Dic mihi Dametæ cujum pecus? an Meliboei?

Aut instamus: ut Catil. 1. *Quousque tandem abutêre, Catilina, patientiâ nostrâ?* &c. (Ubi, eleganter ingeminatis Interrogationibus, miro artificio Catilinæ instat orator) aut Contrarium vehementer indicamus: Interrogatio enim affirmativa vehementer negat; negativa vehementer affirmat: ut

—— Æneid. 1. *Et quisquam numen Junonis adoret?* Et Eclog. 3. *An mihi cantando victus non redderet ille?*

Item Pro Balbo.

Anne de nobis trahere spolia fœderatis licebit; de hostibus non licebit. An quod adipisci poterunt dicendo, id iis assequi pugnando non licebit? An accusatori majores nostri majora præmia, quam bellatori esse voluerunt?

Est etiam ubi negativa Interrogatio, cum increpatione jubet; & affirmativa, similiter vetat: ut Æn. 4.

Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur?

Et Eun. A 4. S. 4. *Exi foras sceleste: at etiam restitas?*

Parenthesis est sententiola sententiæ partibus commodè inserta; sed nec cum priori, nec cum posteriori cohærens. *Quam nos* (inquit Fabius, lib. 9. cap. 3.) *Interpositionem, Græci Parenthesin vocant: dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit.*

De Parenthesi duæ sunt Regulæ.

1. Parenthesis nec longa, nec frequens esse debet; quia hiulcam reddit orationem, & obscuram: ut mo-

nes-

net Q. Lib. 8. cap. 2. *Interjectione (quâ & oratores & Hiſtorici utantur, ut medio ſermone aliquem inferant ſenſum) impediri ſolet intellectus; niſi quod interponitur breve eſt.* Parentheſios autem menſura rarò Hexametrum unum, rariſſimè duo excedit: ut in exemplis paſſim patet: quæ ſicubi longior ſic (ne ſententiæ intellectus indè impediatur) prioris partis verba, poſt Parentheſin, repetenda erunt, & cum poſteriori parte conjungenda: ut, Pro Archia. *Quoties ego hunc Archiam vidi, judices, (utar enim veſtrâ benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi*, &c. Et pro Cluent. *Caſſia mater hujus Aviti, (mater enim à me nominis causâ (tametſi in hunc hoſtili odio & crudelitate eſt) mater, inquam, appellabitur, neque unquam illa ità de ſuo ſcelere & immanitate audiet, ut naturæ nomen amittat. Quo enim eſt ipſum nomen amantius indulgentiúſque maternum; hoc illius matris (quæ multos jam annos, & nunc quàm maximè filium interfectum cupit,) ſingulare ſcelus majore odio dignum eſſe putetis) ea igitur mater Aviti*, &c. ubi poſt grandem Parentheſin, *mater Aviti*, poſt inſertam *mater* repetitur.

2. Parentheſis Parentheſi rarò inſeritur. Inſertas Parentheſes Treutlerus Method. Eloquentiæ. l. 1. omnino averſatur: *Illorum autem ſcriptio* (inquit) *vel flagris coercenda erat, qui Parentheſibus ſuis, aliàs ſatis prolixis, novas adhuc Parentheſes infarcire ſolent.* Hoc tamen aliquando facit Orator: qui, exemplo ſuprà citato, duas tresve inſerere non dubitavit. Videtur itaque Treutlerus, magiſter nimiùm ſeverus, qui mendum, ità vel nullum, vel leviculum, tam graviter voluit caſtigari. Veruntamen inſertæ Parentheſes, (quò confuſio partium vitetur) duabus potiùs virgulis, quàm propriis inſignibus notandæ erunt; ——,

Parentheſis eſt, cùm verbo verbum, aut ſimplex in eodem caſu, aut nonnunquam etiam conjunctum, Diſtinctionis vel Declarationis gratiâ, apponitur: ut,

Lupum

Lupum [*piſcem*] *non vidit Italia*: (ſicut Joan. 14. 22. *Dicit Illi Judas*, [*non Iſcariotes*] *Domine*, &c.

Item Orat. l. 2. ¶ 82. *Quoniam tribus rebus omnes ad noſtram ſententiam perducimus*: [*aut Docendo, aut Conciliando, aut Permovendo*;] *una ex tribus his*. &c. Et Ep 24. l. 9. *Communitas vitæ atque victûs, remiſſióque animorum, maximè ſermone efficitur familiari, qui eſt in conviviis dulciſſimus: ut ſapientiùs noſtri quàm Græci: illi* συμπόσια, *aut* σύνδειπνα [*i. compotationes aut concœnationes*] *non convivia quòd tum maximè ſimul vivitur*.

De Paratheſis, Parenhteſis, & Eroteſis punctis, ſive notis, vide Oratoriæ l. 1. c. 2. §. 1

Periphraſis eſt rei, quæ verbo uno dici poteſt, per plura explicatio. Sic de Milonis ſervis, domini vitam adversùs Clodium pugnantibus, ait Orator, *Fecerunt id quod ſuos quiſque ſervos in tali re facere voluiſſet*. i. trucidârunt. Sic Poeta Æneam Periphraſi quàm nonomine ſignificare maluit.

Æn. 1. *Arma, virúmque cano, Trojæ qui primus ab oris Italiam fato profugus, Lavináque venit Littora*, &c.

Sic *doctrina docendi*, pro oratoria; *Romanæ eloquentiæ pater*, pro Cicerone. De hac figura ità Q. l. 8. c. 6. in fine. *Pluribus autem verbis, cùm id, quod, uno, aut paucioribus certè dici poteſt, explicatur*; *Periphraſin vocant* [*circuitum loquendi*] *qui eſt apud Poetas frequentiſſimus*: ut Æn. 2.

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris
Incipit; & dono divûm gratiſſima ſerpit.

Et apud Oratores non rarus, ſemper tamen adſtrictior. Quicquid enim ſignificari brevius poteſt, & cùm ornatu latiùs oſtenditur, περίφρασις *eſt: cui nomen Latinè datum eſt*, Circumlocutio: *Verùm hæc, ut, eùm decorum habet, Periphraſis; ità, cùm in vitium ineidit* Περισσολογία *dicitur*.

Synonymia [ſeu Palilogia] eſt congeries ſynonymorum; ſive ſint ſingularia, ut, *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit*.

erupit. Item, *Quicunque ubique sunt, qui fuere, quique futuri sunt, posthac stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones, solus ego omnes longe anteeo stultitia, & indoctis moribus*; Sive conjuncta sint, ut pro Milone. *Veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum minimè vident.* Item Pro Ligario. *Et certè contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Sic etiam apud poetam,

Æn. 1. *Quem si fata virum servant; si vescitur aura Ætherea; ned adhuc crudelibus occubat umbris;*
Non metus.

In quibus exemplis omnia sunt ἰσοδυναμοῦντα, seu idem propè significantia.

Palilogia facit ad amplificandum, & affectum vehementem excitandum; dum, ex re una multifariam expressa, plures veluti aculeos animo auditoris infigimus. Quem effectum Orator, loco novissime citato, assecutus, *Nimis*, inquit, *urgeo: commoveri videtur adolescens.*

Sed habendus ubique Synonymorum delectus: quia vix duo usquam verba reperias adeò æquipollentia, ut non aliquo discrimine distinguantur, & ex iis alia tibi aliis aptiora fuerint: ut rectè Q. l. 8. c. 3. *Cùm idem frequentissimè plura significent (quod Synonymia vocatur) jam sunt alia aliis honestiora, sublimiora, nitidiora, jucundiora, vocaliora.*

Vitium huic figuræ contrarium dicitur Tautologia, & Battologia: cùm sine delectu congesta Synonyma, nihil aliud quàm tædium ac fastidium orationi pariũt.

Hypotyposis est, cùm res toræ ità particulatim & ordine exprimitur, ut coràm videri videatur. Hujus figuræ definitionem Quint. non minùs acutè, quàm concisè, sic effert: *Hypotyposis est, quâ tota rerum imago quodammodo verbis depingitur.* Eámque idoneis exemplis deinceps illustrat; ut, Æn. 5. 426.

Con-

Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque.
Et Cætera, quæ nobis illam pugilum congredientium faciem ità oſtendunt, ut non clarior fuerit ſpectantibus. Talis eſt ibidem convivii luxurioſi deſcriptio. *Videbar videre alios intrantes, alios vero exeuntes; quoſdam ex vino vacillantes, quoſdam heſternâ potatione oſcitantes: verſatur inter hos Gallius, unguentis oblitus, redimitus coronis: humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium. Quid plus videret, qui intraſſet? Sic urbium captarum creſcit miſeratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam eſſe civitatem, complectitur omnia, quæcunque talis fortuna recipit: ſed in affectus minùs penetrat brevis hic velut nuncius. At ſi aperias hæc, quæ verbo uno incluſa erant, apparebunt, & fuſæ per domos ac templa flammæ; & ruentium tectorum fragor; & ex diverſis clamoribus unus quidem ſonus: aliorum fuga incerta; alii in extremo complexu ſuorum cohærentes; & infantium fœminarumque ploratus; & malè uſque in illum diem ſervati fato ſenes tum profanorum ſacrorúmque direptio; efferentium prædas repetentiúmque diſcurſus; & acti ante ſuum quiſque prædonem catenati; & conata retinere infantem ſuum mater; &, ſicubi majus lucrum eſt, pugna inter victores. Licèt enim hæc omnia (ut dixi) complectatur verſio; minus eſt tamen totum dicere quàm omnia.*

Præmunitio, ſive Præparatio, eſt, quando adversùs eorum, quæ dicturi ſumus, reprehenſionem, nos præmunimus, rationem aliquam aut cauſam prætendentes. Sic Orator promiſſis ad Siculos olim factis, ſe præmunit contra Cæcilium, & alios, qui mirarentur eum jam ad accuſandum deſcendere, qui priùs omnino defendere conſuevit. Pro Milone. Præmunitio eſt adverſus Clodianos, ex ſinceritate. *Fecerunt id ſervi Milonis (dicam enim non derivandi criminis cauſâ: ſed ut factum eſt) quod ſuos &c.*

Tranſitio eſt, quâ connectuntur partes orationis. Eſt autem vel perfecta, vel imperfecta.

Perfecta eſt, quâ dicitur & quid dictum ſit, & quid dicendum: ut *Satis multa de turpitudine: dicam de-*

inceps

inceps quod proposui de periculo. Item.
Quoniam de genere belli dixi; nunc de magnitudine pauca dicam. Item.
Hactenus arvorum cultus, & sidera cæli:
Nunc te, Bacche, canam, &c.

Transitio imperfecta est, quâ, aut quid dictum, aut quid dicendum sit, dicitur: Pro Ameri. *Agè, nunc illa videamus, judices, quæ consecuta sunt.* Item Salust. in Jugurth. *De Africa, & ejus incolis, ad necessitudinem rei satis dictum.*

Transitio facit ad ornatum & attentionem, ad rerum intelligentiam & reminiscentiam.

Rejectio est, cùm aliquid aut in alium locum, aut in aliud tempus rejicimus, aut omnino à causa & oratione nostra removemus.

Rejectio, qua quid in commodiorem locum reservatur, est pro Plancio: *Posnit hoc idem quod tu, Cassi, Laterensis: quamobrem de isto paulò pòst dicam.* Item pro lege Manilia. *Sed de Lucullo dicam alio loco: & ità dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta, oratione meâ neque falsa affixa esse videatur.*

Rejectio in aliud tempus fit, vel brevitatis studio, vel propter temporis angustias. Sed *Scitum est causam conferre in tempus, cùm afferre plura, si cupias, non queas.*

Tertii generis Apodioxis est, pro ex. Roscio. *Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est: nisi forte exspectatis ut illa diluam, quæ de peculatu, ac de ejusmodi rebus commentitiis, inaudita vobis ante hoc tempus, ac nova objicit: quæ mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ità neque ad crimen parricidii, neque ad eum qui causam dicit, pertinebant.*

Et pro Posthumo: *Quid ego Senatum defendam hoc loco, judices? omni equidem loco debeo: ità de me meritus est ille ordo. Sed id nec agitur hoc tempore; nec cum Posthumi causa res ista conjuncta est.*

RHE-

RHETORICÆ
Liber Secundus,
DE PRONUNCIATIONE.
CAP. I.

ELocutionis (quæ prima fuit Rhetoricæ pars) præcepta, in tropis & figuris exposita sunt: sequitur (a) Pronunciatio sive (b) Actio, pars altera institutæ artis (c) Pronunciatio est (d) externa orationis exornatio, apta scilicet ejusdem enunciatio, Elocutione certè (e) multò præstantior & efficacior.

Ad Cap. 1.

(a) (b) Quintil. l. 11. c. 3. *Pronunciatio à plerisq; Actio dicitur: sed prius nomen à voce, sequens, à gestu videtur accipere.*

(c) Heren. l. 1. ¶. 5. *Pronunciatio est vocis, & vultus, gestus, moderatio cum venustate.*

(d) Vide (2) in notis ad c. 1. l. 1.

(e) Orat. l. 3. ¶. 31. *Hæc ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur. Actio enim in dicendo una dominatur, sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris hâc instructus summos sæpe superare. Huic primas dedisse Demosthènes dicitur, cùm rogaretur, quid dicendo esset primum: huic secundas: huic tertias. Quò mihi melius illud ab Æschine dictum videri solet, qui cùm propter ignominiam judicii cessisset Athenis, & se Rhodum contulisset; rogatus à Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra*

ra Demoſthenen dixerat: quâ perlectâ, petitum eſt ab ei poſtridie, ut legeret illam etiam, quæ contra à Demoſthene pro Cteſiphonte eſt edita: quam cùm ſuaviſſimâ & maximâ voce legiſſet, admirantibus omnibus, Quantò, inquit, magis admiraremini, ſi audiſſetis ipſum? Ex eo ſatis ſignificavit, quantum eſſet in Actione, qui orationem eandem, aliam eſſe putaret Actore mutato Quint. l. 11. c. 3. *Cujus etiam rei magnum argumentum Hortenſius eſt diu princeps Oratorum, Poſtea æqualis Ciceroni, perpetuò autem ſecundus: cujus tamen ſcripta tam longè abfuerunt ab illa vivæ eloquentiæ fama, ut appareret aliquid placuiſſe eo dicente, quod poſtea legentes non invenerint.*

CAP. II.

De Tono, Sono, & Proſodia.

PArtes pronunciationis duæ ſunt: vox ſeu Prolatio, quæ communi nomine, Pronunciatio; & Geſtus, quæ itidem Actio, dicitur. Atque harum partium altera ad aures, altera ad oculos pertinet: per quos duos ſenſus, omnis ferè cognitio ad animum pervenit.

Prolatio eſt, quâ orationem (*a*) non eodem tenore, ſed gratâ (*b*) vocis varietate proferimus.

Vocis autem varietas conſiſtit, in Tono, Sono, & Proſodia.

Tonus, vocis modulus, eſt vel ſuperior ſeu acutus; vel inferior ſeu gravis: unde (*c*) intendi ſeu aſcendere, & remitti ſeu deſcendere, vox dicitur; ut in notis Muſicis.

Sonus, vocis vis, eſt vel elatus ſeu argutus, vel ſubmiſſus ſeu ſuppreſſus: quo vox, (*d*) ſive

ſive inferior ſive ſuperior ſit, tum elevari, tum deprimi dicitur, unde faciliùs vel difficiliùs audiatur.

Proſodia, ſeu Accentus, eſt quâ aliqua Dictionis ſyllaba præ cæteris (*e*) accinitur. Accentus, qui Græcis triplex eſt, acutus (´) gravis (`) circumflexus (~), Latinis (*f*) unicus eſt, Acutus.

Accentûs acuti (*g*) ſedes triplex eſt: ultimâ, penultimâ, & antepenultimâ Dictionis ſyllabâ: Ad quam dignoſcendam triplex datur Regula.

1. Monoſyllaba omnia acuuntur.
2. Diſyllaba omnia acuunt priorem.
3. Hyperdiſyllaba, penultimâ longâ, eandem acuunt: brevi, antepenultimam. vide primam Reg. de media.

Sed duo accentum tranſponunt.

1. Conjunctio enclitica (*h*) *que ne*, & *ve*, dictioni annexa accentum tum à penultima, tum ab antepenultima (*i*) in ultimum inclinat: ut Catil. 1. *Nihílne te nocturnum præſidium palatii —— nihil horum ora vultúſque moverunt?* Et mox *me ipſum inertiæ nequitiæq; condemno.*

2. Etiam diſſimilitudo dictionum ſimilium invicem reſpondentium, ſive principium, ſive finem occupet, accentum à loco naturali & proprio, ad ſe attrahit: ut Catil. 1. *ut non* emiſſus *ex urbe; ſed* immiſſus *in urbe eſſe videatur.* Sic Eun. Prol. *Æquum eſt vos* cognoſcere, *atque*

quæ ignoscere. Et Quint. l. 9. c. 3. *Neminem posse alteri dare* matrimonium, *nisi penes quem sit* patrimonium. Item Nocumenta Documenta. Et, Inimici *potiùs quam* amici *est*, amari *malle quàm* amare.

Atque hæc Prosodiæ ratio in omni servatur, tum Toni tum Soni mutatione.

Ad Cap. 2.

(*a*) Orat. l. 3. in fine. *Ad aures nostras & actionis suavitatem, quid est vicissitudine, varietate, & commutatione aptius?* Nunc enim acriori contentione ascendere, nunc etiam Tonorum tanquam gradibus descendere; nunc elavare vocem, nunc deprimere, juvat. Perpetuata autem Monotonia turpis & ingrata est, Q. l. 11. c. 3. *Vitemus igitur illam quæ Græcis μονοτονία vocatur, unâ quadam spiritus ac soni intentio, non solùm ne dicamus omnia clamosè, quod insanum est; aut infra loquendi modum, quod motu careat; aut submisso murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio; sed ut in iisdem partibus, iisdem affectibus, sint tamen quædam, non ità magna, vocis declinationes; prout verborum dignitas, aut sententiarum natura, aut dispositio, aut inceptio, aut transitus, postulabit.*

(*b*) *Vocis.* Orat. l. 3. in fine. *Ad actionis usum atq; laudem, maximam sine dubio partem Vox obtinet: quæ primùm est optanda nobis: deinde, quæcunque erit, ea tuenda.* Et mox. *Ad vocem in dicendo obtinendam, nihil est utilius, quam crebra mutatio; nihil perniciosius, quàm effusa sine intermissione contentio.* Vide (*c*)

(*c*) *Intendi.* Orat. Perf. *Vocis quidem bonitas optanda est: non est enim in nobis; sed tractatio & usus in nobis. Ergò ille princeps variabit & mutabit, & omnes sonorum suum intendens tum remittens, persequetur gradus.*

(*d*) *Sive inferior.* Nam & Tonus inferior, ut in Musica Bassus, sono arguto ac elato edi potest; & contrà

trà ſuperior, ut triplex, ſono leni, & ſubmiſſo.

(e) *Accinitur.* i. clariùs, & apertiùs, cum majori mora, effertur.

(f) *Unicus eſt, acutus.* Gravis enim nihil aliud eſt, quàm Acuti abſentia ſeu privatio. Notatur quidem alicubi, ſed in *a* alium uſum: ad Pronunciationem nihil confert. Circumflexus etiam notatur; & in duplicem uſum: ſed in voce, vel, tanquam gravis, nullam habet vim, ut in *Musâ*, vel eam quam Acutus, ut in *guſtâram*. Neque enim *Musâ* ablat. ſecus effertur, quàm *Muſa* nominat. quia omnia diſyllaba priorem acuunt; neque *b* in *guſtâram*, aliter quàm in *guſtare*: cùm utrobique penultima longa ſimiliter acuenda ſit. (Vide ſuprà Regulam 2. & 3.) Itaque Orat. Perſ. ¶ 19. ſic Orator: *Ipſa natura, quaſi modularetur hominum orationem, in omni verbo poſuit acutam vocem: nec unâ plus; nec à poſtrema ſyllaba citra tertiam.* Tertiam hic intelligit Orator incluſivè: ut Muſici in Concordiis dicunt notam tertiam & quintam; & Medici in Febribus diem *b* tertiam & quartam. Secus enim penultima eſt prima ab ultima; & antepenultima (citra quam naturaliter non eſt Accentus) eſt ſecunda: quam hic Orator, ipſam ultimam annumerans appellat *tertiam.*

a Vide l. 1. Oratoriæ c. 2. ſect 1. poſt n. tas. *b* Vnde febris tertiana & quartana, quæ 2. & 3. quaque die accedit:

(g) *Sedes triplex.* Orat. Perſ. ¶ 10. *Natura in omni verbo poſuit acutam vocem: nec unâ plus; nec a poſtrema ſyllabâ citra tertiam.* Itaque ut Latini acuunt ultimam, penultimam, & antepenultimam; ita Græci ſuum habent ὀξύτονον, παροξύτονον, περισπερισπώμενον.

(h) *Que, Itaque, utique, undique*, acuunt primam: ſed in iis *que* non eſt conjunctio enclitica; ſed pars compoſiti.

(i) *In ultimam inclinat.* Hoc præceptum cùm ſit perpetuum, fruſtrà Acuti nota particulæ encliticæ præfigi ſolet.

CAP.

CAP. III.

De voce ſingularum Dictionum.

PRolatio eſt vel dictionum ſingularum, vel Diſtinctionum ſeu Partium Sententiæ, vel Sententiæ integræ.

Singulæ cujuſque Dictionis ſyllabæ, (*a*) præſertim extremæ, diſtinctè & clarè proferantur.

(*b*) Emphatica, aliáque præcipuæ notæ verba, præſertim Antitheta ſeu invicem reſpondentia, paulò altiorem vocis & Tonum & Sonum requirunt. Atque in his relucent inſigniores Tropi, ut in Clod. Integritas *tua te purgavit*, pudor *eripuit*. Æn. 8. *Pontem* indignatus *Araxes*. Phil. 2. *gremium ſuum*, & totum tribunal *implevit*. Catilinariâ 2. *pudor* & *petulantia*, *pudicitia* & *ſtuprum*, *fides* & *fraudatio*, *pietas* & *ſcelus*, &c. (vide Meton. adjuncti) in illuſtri Allegoria, invicem reſpondent. Et Æn. 7. *Superi* & *Inferi*.

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta *movebo*.

Pro Corn. Balbo. *An* linguâ & ingenio *patefieri* aditus ad civitatem *potuit*; manu & virtute *non potuit*? Hîc verba Emphatica, *lingua* & *manu*, *ingenio* & *virtute* invicem reſpondent. Quæ omnia elatiori voce proferenda ſunt.

Similis eſt in verborum figuris Pronunciatio.

Litigat & podagrâ *Diodorus*, *Flacce*, *laborat*:
Sed nil Patrono porrigit: *hæc* chiragra *eſt*.

Hic

Hic enim *podagra* & *chiragra*, voces nempe quibus insidet figura, supra reliquas efferuntur. Par est in cæteris ratio.

Ipsa sonant arbusta, Deus Deus *ille*, *Menalca*.
Te *dulcis conjux*, te *solo in littore secum*,
Te *veniente die*, te *decedente canebat*.

Certus *locus*, certa *lex*, certum *tribunal*. Ubi *Deus* bis, *te* quater expressa, & *certus*, *certa*, *certum*, similem obtinent prolationem.

Ad Cap. 3.

(*a*) *Præsertim extrema*: quia terminationis occultatio, occultat ferè sensum sententiæ: hic tamen supinâ *discentium*, nè dicam *docentium*, negligentiâ in scholis nonnullis nimiùm peccatur.

(*b*) De Emphasi vide Orat. l. 1. c. 2. §. 1.

CAP. IV.

De voce Distinctionum.

HAbent & Sententiarum Distinctiones suos Pronunciandi modos.

Comma vocis tenorem continuat in Dictione ultimâ, cum pausa brevissima: Semicolon cum paulò longiori.

Periodus vocis tenorem, seu tonum communem, in ultimâ deprimit, cum intervallo longissimo: Colon cum breviori.

Eroteſis pura tonum communem in ultima elevat: sic etiam quæ particulas merè interrogativas, quæ nihil addunt significationis, præfixas habent: Ut *Num*, *An*, *Ne*, *Anne*, *Nonne*.

Sed Eroteſis, quæ à nomine interrogativo inchoatur; (ut *Quis*, *Quid*, *Uter*, *Qualis*, *Quantus*, *Quot*, *Quotus*) aut ab Adverbio interrogativo aliquid adſignificante, (ut *Ubi*, *Unde*, *Quò*, *Quorſum*, *Quando*, *Quouſque*, *Quoties*, *Quàm*, *Quomodo*, *Cur*, *Quare*,) deſinit ut Periodus; & Tonum elevatum retrahit ad Interrogativum: ſicut Ecphoneſis (quæ etiam deſinit ut Periodus) ad (*a*) particulam Exclamandi.

Parentheſis (ſive ſemicirculis, ſive a virgulis notetur) tono inferiori & ſono ſubmiſſiori tota proferenda eſt; ſempérque deſinit ut Comma.

Paratheſis proferetur ut Parentheſis: ſed deſinit ut Diſtinctio ejus primaria, ſive perfecta ſit ſive imperfecta: aut, ſi nulla ſit, ut Comma.

a Vide Oratori. Lib. 1. Cap. 2. ſect. 1.

Diſtinctionum Exempla vide initio Catil. 1.

Cæterùm quia in Sententiis aliæ ſunt, pro varietate affectuum, vocis varietates; ideo Diſtinctiones, quæ Sententiarum ſunt partes, earum etiam ſunt participes. Ut docet l. 11. c. 3, Q. Proponamus (*ait*) nobis illud Ciceronis, in oratione nobiliſſima pro Milone, principium: nonne ad ſingulas penè diſtinctiones, quamvis in eadem facie, tamen quaſi vultus mutandus eſt? *Etſi vereor (Judices) nè turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem, timere*; Etiamſi eſt toto propoſito contractum atque ſubmiſſum, quia & exordium eſt, & ſolicitum exordium;

dium; tamen fuerit, neceſſe eſt, aliquid plenius & erectius, dum dicit, *pro fortiſſimo viro*: quàm cùm, *Et ſi vereor, & turpe ſit, & timere*, Jam ſecunda reſpiratio increſcat oportet, naturali quodam conatu, quo minùs pavidè dicimus quæ ſequuntur; & quo magnitudo animi Milonis oſtenditur. *Miniméque deceat, cùm Titus Annius ipſe magìs de* Reipublicæ *ſalute, quàm de ſua perturbetur*; Deinde quaſi objurgatio ſui eſt, *me ad ejus cauſam, parem animi magnitudinem afferre non poſſe*; Tum invidioſiora, *tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos*. Illa verò jam penè apertis (ut aiunt) tibiis: *Qui quocumque inciderunt, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum minimè vident*. Nam ſequens latum etiam, atque fuſum eſt: *Non enim coronâ conſeſſus veſter cinctus eſt, ut ſolebat*. Quod notavi ut appareret, non ſolùm in membris cauſæ, ſed etiam in articulis, eſſe aliquam Pronunciandi varietatem; ſine qua nihil neque majus, neque minus eſt.

Ad Cap. 4.

(a) *Particulam Exclam:* ut *O, Utinam, Proh, Eu, Heu.* Exempla, vide lib. 1. cap. 24.

CAP. V.

De voce integræ Sententiæ.

SEquitur Prolatio Totius Sententiæ: in qua figuræ Sententiarum, Affectúſque omnes, comprehenduntur.

Atque hic cantus ille eſt, quem Tullius, Orat. Perf. §. 10. Demoſthenem & Æſchinem ſignificâſſe dicit, cùm vocis flectiones & inclinationes invicem exprobrarent, non ideo improbandas: cùm enim uterque alteri objiciat, palàm eſt utrumque feciſſe.

(*a*) Submiſſiori ac graviori voce orationem auſpicari, hinc paulatim inſurgere, donec ad debitum tenorem ventum fuerit, atque hinc in exitu, ad priorem Vocis gravitatem & ſubmiſſionem paulatim relabi, utile ac ſuave erit.

Vocis tenor, maximam partem, debet eſſe (*b*) mediocris inter imam ſummámque, inter elatam & ſubmiſſam: unde, in utramque partem, prout res poſtulârit, recedatur. Eſt enim non minor variandæ Vocis in oratione tota, quàm fuit in ſingulis Dictionibus & Diſtinctionibus, virtus & venuſtas.

Exemplũ vocis acutæ & argutæ eſt pro Ligario: *Vide, Cæſar, quàm non reformidem: quanta lux tuæ liberalitatis & ſapientiæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantùm potero voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat: Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nullâ vi coactus, judicio meo ac voluntate, ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te:* & hanc Orator ipſe contentionem vocis prædixit. Similiter cùm populus, acclamatione adverſâ, Ciceronem pro Rabirio agentem turbaret; *Nihil* (ait) *me clamor iſte commovet, ſed conſolatur; cùm indicat eſſe quoſdam cives imperitos, ſed non multos. Nunquam* (mihi credite) *Pop. Ro-*

Romanus hic qui ſilet, Conſulem me feciſſet; ſi veſtro clamore perturbatũ iri arbitraretur. Quantò jam levior eſt acclamatio: *Quin continetis vocem, indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis.*

Exemplum gravis & ſubmiſſæ vocis eſt Phil. 2. *Si inter cœnam in tuis immanibus poculis accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò Populi Romani, publicum negotium gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens, fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal, implevit.* In redditione Collationis, producenda ſunt omnia, trahendæ vocales, aperiendæ fauces, quò major quàm antea fœditas exprimatur.

Sunt etiam ſuæ ſingulis Affectibus voces, ut oſtendit Orator, Orat. lib. 3. in fine. *Omnis motus animi ſuum quendam à natura habet vultum & ſonum, & geſtum: totumq; corpus hominis, & ejus omnis vultus, omneſq; voces, ut nervi in fidibus, ità ſonant, ut à motu animi ſunt pulſæ: Nam voces, ut chordæ ſunt intentæ, quæ ad quēque tactum reſpondeant: [acuta gravis, cita tarda, magna parva;] quas tamen inter omnes eſt, ſuo quoq; in genere, mediocris. Atq; etiam illa ſunt, ab his delapſa, plura genera: lene aſperum, contractum diffuſum, continenti ſpiritu intermiſſo, fractum ſciſſum, flexo ſono, attenuatum inflatum.*

In miſeratione vox erit flexibilis, plena, intertuptâ, flebilis: ut in illo Gracchanæ orationis loco, 3. De Orat, *Quò me miſer conferam? quo*

vertam? in capitolium̃ne? at fratris ſanguine redundat: an domum? matrémne ut miſeram, lamentatémq; videam, & abjectam? Quæ a Graccho Tullius ait acta ſic eſſe, oculis, voce, geſtu; inimici ut lachrymis tenere non poſſent.

In iracundia vox contraria eſt, acuta, incitata, crebrò incidens Phil. 3. *O præclaram illam eloquentiam tuam, cùm es nudus concionatus! Quid turpius? quid fœdius? quid ſupplicijs omnibus dignius? num exſpectas dum te ſtimulis fodiam? Hæc te, ſi ullam partem habes ſenſûs, lacerat, hæc te cruentat oratio. Vereor nè imminuam ſummorum virorum autoritatem & gloriam: dicam tamen dolore commotus: Quid indignius, quàm vivere eum qui impoſuerit diadema; cùm omnes fateantur jure interfectum eße, qui abjecerit?* Talem vocem requirit Reticentia illa: *Jam cœlum terrámq; meo ſine numine venti*, &c.

In metu & verecundia demiſſus & hæſitans ſonus eſt. Ter Eun. *Totus, Parmeno, tremo horreóque, poſtquam aſpexi hanc.* Talis vox Ciceronis fuit in pleriſq; exordiis, ut pro Dejotaro etiam ſignificatur: *Cùm in omnibus cauſis gravioribus, C. Cæſar, initio dicendi commoveri ſoleam vehementiùs, quàm videtur vel uſus, vel ætas poſtulare; tum in hac cauſa ità me multa perturbant, ut quantũ mea fides ſtudii mei afferat ad ſalutem regis Dejotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat.* Pro Quinctio rationem addit, *Semper equidem magno cum metu*

incipio

incipio dicere, Quotiescunque dico, toties mihi videor in judicium venire, non ingenii solùm sed etiam virtutis, atque officii: ne aut id profiteri videar, quod non possum implere; quod est impudentiæ: aut id non efficere quod possum, quod est aut perfidiæ, aut negligentiæ, &c.

In voluptate, tenerũ, lene, effusum, hilaratum vocis genus optatur. Qualis est illa vox Æneæ, pictum in tapetis Trojæ excidium intuentis. *Constitit, & lachrymans, Quis jam locus, inquit, Achate,*

Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus: sunt hic etiam sua præmia laudi;
Sunt lachrymæ rerũ, & mentem mortalia tãgunt.
Solve metus: feret hæc aliquã tibi fama salutem.

Dolor sine commiseratione, grave quiddam, & imo pressu ac sono obductum, requirit. In Pison. *Meministine, cœnum, cùm ad te quintâ ferè horâ cum C. Pisone venissem, nescio quo è gurgustio te prodire, involuto capite soleatum? & cum isto ore fœtido teterrimã nobis popinam inhalâsses, excusatione te uti valetudinis, quòd diceres vinolentis te quibusdam medicamentis solere curari? quam nos causam cùm accepissemus, (quid enim facere poteramus) paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo: unde tu nos, cùm improbissimè respondendo, tum turpissimè eructando, ejeciſti.*

In blandiendo, satisfaciendo, rogando, levis vox & summissa est: Æneid. 4.

Méne fugis? per ego has lachrymas, dextrámque tuam te
(Quando aliud mihi jam miseræ nil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos hymenæos;
(Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum) miserere domûs labentis, & istam
Oro (si quis adhuc precibus locus) exue mentem.

ATque hæc de vocis moderatione: ad quam obtinendam, optimum esse censet Fabius, ediscere quàm maximè varia, quæ flexus omnes habeant eáq; quotidie ità dicere, ut agimus: ut simul in omnia paremur. Sic Cicero vitium huic moderationi contrarium emendavit. Brut. ¶. 140. Omnia enim sine remissione, sine varietate, vi summâ vocis, & totius corporis contentione dicebat: Sed peragratâ Græciâ & Asiâ, omnium generum Rhetoribus auscultatis, & ad hoc remedium adhibitis, tandem non modò exercitatior, sed propè mutatus rediit.

Ad Cap. 5.

(a) *Submiss.* Heren. l. 3. ¶. 27. *Firmam quàm maximè poterimus in dicendo vocem conservare; si sedatâ & depressâ voce principia dicemus. Nam læduntur arteriæ, si, antequam leni voce permulsæ sunt, acri clamore compleantur.* Quanquam depressa vox nec in exitu, nec in initio perpetua est; nè deprehensum artificium satietatem pariat, & tædium. Orator enim *Initii* vocem, Catil. 1. & vocem *Exitûs* pro Amerino, intendit. Siquidem *Initium* illud est Apostrophe multiplicis & vehementis Interrogationis: atq; in *Epilogo*, Patheticæ ad Chrysogonum Apostrophæ inserit Orator Prosopopæiã Roscii, injuriam cum Chrysogono, & crudelitatem expostulantis; nõ sine Exclamatione instantibus auctæ interrogationibus: deinde ad Judices reversus, eos sæpius per Deos immortales adjurans, seriis & hortationibus & monitionibus permovet, & abruptè desinit.

Neque

Neque enim aut illius *Initii*, aut hujus *Epilogi* vehementia, fine intentiori voce rectè proferuntur.

(b) Mediocris. Orat. l. 3. *In omni voce est quiddam medium: sed suum cuique voci: deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius est quàm acutissimus clamor; est item quiddam in remissione gravissimum: quoque tanquam sonorum gradibus descenditur.* Item Q. l. 11. c. 3. *Neque gravissimus, ut in Musica, sonus; nec acutissimus, orationibus convenit. Nam & ille parùm clarus, nimiùmque plenus: nullum afferre animis motum potest; & hic prætenuis, ac immodicæ claritatis, cùm est ultra verum, tum neque pronunciatione flecti, neque diutiùs ferre intentionem potest. Nam vox, ut nervi, quò remissior, hòc & gravior & plenior; quò tensior, hòc tenuis & acuta magis est. Mediis itaque utendum sonis; hique, cùm augenda intentio est, excitandi; cùm submittenda, sunt temperandi.*

Verùm hæc quæ de voce præcipiuntur, vix queunt sine viva præceptoris voce ad amussim percipi: ut l. 1. c. 8. monet Q. *Quando attollenda, vel submittenda sit vox, quid quoq; flexu quid lentiùs, celeriùs, concitatiùs, leniùs, dicendum, demonstrari, nisi in opere ipso, non potest.*

CAP. VI.

De Gestu.

HActenus de Voce: Actionis lex & gestus supereſt, (quam Quintilianus. Lib. 1. Cap. 11. Chironomiam appellat) (*a*) virtutis multò majoris, quàm ulla Vox esse possit.

Lex una hîc summa est, ut omnes vocis flexiones, atque animi motus comitetur gestus.

Ad Cap. 6.

(*a*) Orat. 3. ad finem. In iis enim omnibus quæ sunt Actionis, inest quædam vis à natura data; quare etiam

am hâc imperiti, hâc vulgus, hâc denique barbari, maxime commoventur. Verba neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguæ societate conjunctus est: sententiæq; sæpe acutæ non acutorum hominum sensus prætervolant. Actio autem, quæ præ se motum animi fert, omnes movet: iisdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos iisdem notis, & in aliis agnoscunt, & in seipsis judicant. Argumento magno est pantomimus, qui solo gestu, sine voce omnia spectantibus significat; ut gestus in tanta, per tot gentes, linguarum diversitate, tanquam communis hominum sermo esse videatur. Imò verò etiam bestiarum, quæ signis affectus suos enunciant: quinetiam rerum inanimatarum: sic enim picturæ & imagines tacitè loquuntur. Itaque gestus, sermo corporis & eloquentia rectè à Cicerone nominatur: in cóque summum studium duo summi oratores Demosthenes, & Cicero posuere. Demosthenes speculum grande intuens, componebat Actionem & gestus corporis: & quamvis fulgor ille sinistras imagines redderet: suis demũ oculis quod efficeret credidit. Quinetiam Satyrum histrionem ad eas artes magistrum adhibuit. Et Cicero histrionibus quoque hujus doctrinæ magistris Roscio comœdo, Æsopo tragœdo usus est. Chironomiam verò Quintilianus autor est ab heroicis usque temporibus repetitiam, ab ipso etiam Socrate probatam, à Platone quoque in parte civilium posítam virtutum.

CAP. VII.

De Gestu totius corporis.

TRunco totius corporis orator seipsum moderetur, & virili laterum flexione, non gesticulatione scenicâ: Actionémque magis ad sensus, quàm ad verba accommodet.

Orat. Perf. ¶ 10. Status verò corporis sit secundùm naturam erectus & excelsus.

Etenim

Etenim natura

Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Contraria autem mutatio & vacillatio, quàm indecora ſit, Curionis motus ille argumento eſt, quem & Julius (ut eſt in Bruto) perpetuum notavit, *cùm ex eo in utramque partem toto corpore vacillante quæſivit, quis loqueretur è lintre: & Cn. Sicinius homo impurus, ſed admodum ridiculus, is cùm Tribunus pleb. Curionem & Octavium Conſules produxiſſet, Curioq; multa dixiſſet ſedente Cn. Octavio collegâ, qui devinctus erat faſciis, & multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus; Nunquam, inquit, Octavi, collegæ tuo gratiam referes; qui niſi ſe ſuo m. jactaviſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent.*

CAP. VIII.

De Geſtu capitis, frontis, oculorum.

ATque hæc de corporis univerſi geſtu. Partium item ſua quædam ratio eſt, & quidem præcipua capitis, cum illo corporis ſtatu conſentientis. Demiſſo capite humilitas & modeſtia ſignificatur: & hoc geſtu Poëta verecundiam reginæ exprimit, Æneid. 1.

Tum breviter Dido vultum demiſſa profatur.

Capite & oculis in terram converſis, Orator velut cogitabundus, decorè exorditur. Q. c. 3. Cùm ad Judicem nos converterimus, protinus eſt erumpendum; ſed danda brevis cogi-

cogitationis mora. Mirè enim auditorem dicturi cura delectat: & Judex se ipse componit. Hoc præcipit Homerus, Iliad. 3. Ulyssis exemplo: quem stetisse oculis in terram defixis, immotóque sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellã effunderet, dixit: eóque gestu par est Ciceronis timorem in principiis significatum esse: quinetiam id testificatur oratione illâ, *Cùm in omnibus causis*, C. Cæsar, &c. Aspectus vertitur eodem, quò gestus corporis: exceptis, quæ aut damnanda, aut removenda sunt, ut videamur aversari. Æneid. 3.

..... *Dii talem terris avertite pestem.* Æn. 1.

..... *Haud equidem tali me dignor honore.*

Solo tamen capite gestum facere, aut frequenter facere, vitiosum scenicis doctoribus visum est. Frontem ferire in dolore Ciceroni videtur oratorium, Fabio autem scenicum, Orat. lib. 3. ¶. 7. Sed in ore ac vultu sunt omnia: in eo autem ipso dominatus est omnis oculorum. Orat. pr. ¶. 10. Vultus enim imago est animi, indices oculi. Quare cùm efferis nè quid ineptum aut vultuosum sit, tum oculorũ magna debet esse moderatio: qui, quot animi motus sint, tot significationes, & communicationes habent. (*a*) Oculis itaque immotis dicere valdè dedecet. Narium, labrorum, menti, cervicum, (*b*) humerorum vitia magis notantur.

Ad Cap. 8.

(*a*) Orat. lib. 3. in fine. *Theophrastus quidem actorem aversum*

verſum dixit, qui in agendo contuens aliquid pronunciaret. E contrà verò Q. lib. 9. c. 3. *Quanquam & vultûs mutatio, oculorúmque conjectus multùm in actu valet; tamen ſi quis ducereos exquiſitis modis, & frontis ac luminum inconſtantiâ trepidare non deſinat, rideatur.*

(b) Humeros jactabat Demoſthenes: ſed hoc vitium ità dicitur emendâſſe, ut, cùm in anguſto quodam pulpito ſtans diceret, haſta humero dependens immineret, ut ſi calore dicendi vitare id excidiſſet, offenſatione illâ commoveretur.

CAP. IX.

De Geſtu brachii, manûs, digitorum.

AT brachium procerius projectum, quaſi quoddam telum orationis eſt: continuóſque ac decurrentes locos maximè decet: & cùm ſpecioſius quiddam uberiúſq; dicendum eſt (ſicut illud, Quintil. lib. 11. cap. 3. *Saxa atque ſolitudines voci reſpondent*) expatiatur in latus, & ipſa quodammodo ſe cum militari iſto geſtu fundit oratio. Siniſtrum verò brachium, ſi quid eo agendum ſit, eouſque allevandum eſt, ut quaſi normalem angulum faciat. Manus autem minùs arguta, digitis ſubſequens verba, non exprimens, tantum poteſt, ut ſine hac trunca videatur actio. Nam cæteræ partes loquentem adjuvant, manus propè ipſa loquitur. Hinc Perſianum illud Satyr. 4.

Ergò ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Majeſtate manus.——

Siniſtra

Siniſtra autem ſola nunquam geſtum facit; dextræ ſeſe frequenter accommodat. Sic junctis manibus Aporia illa Gracchana agenda eſt: *Quò me miſer conferam?* &c. Quantus verò ſit junctarum manuum geſtus, exemplum poetæ demonſtrat. Æneid. 1.

Ingemit, & duplices tendens ad ſydera palmas
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere! ..... Hic poeta geſtum præmonſtravit.

Manus verò complodere eſt ſcenicum.

Atque hæc de univerſa manu: in cujus digitis ſingularis geſtus quidam eſt: atque ille imprimis maximè communis, quo medius digitus in pollicẽ contrahitur explicatis tribus: & geſtus eſt inſtantior: & tribus pollice preſſis, index ille (quo Craſſum in exprimendo animi dolore, atque impetu ſcienter uſum ſignificat Antonius) explicari ſolet. Is in exprobrando & indicando (unde ei nomen eſt) alternatâ ac ſpectante humerum manu, paulùm inclinatus affirmat: verſus in terram urget: aliquando pro numero unitatis eſt. Eſt autem & ille verecundæ orationi aptiſſimus, quo quatuor primis leviter in ſummũ coëuntibus digitis, non procul ab ore aut pectore, fertur ad nos manus: & deinde prona ac paululùm prolata laxatur. Quintilianus credit hoc modo cœpiſſe Demoſthenem, in illo pro Cteſiphonte timido ſummiſſóque

miſſóque principio: ſic item formatam Ciceronis manum, cùm diceret, *Si quid eſt in me ingenii (judices) quod ſentio quàm ſit exiguum*, &c. Atque digitorum geſtus tam inſignis eſt.

CAP. X.

De Geſtu pectoris, fœmoris, pedis.

IN cæteris vitia ſerè notata ſunt: ut pectus ac ventrem projicere. Cædere etiam pectus Fabio ſcenicum eſt. At fœmur ferire (quod Athenis primus feciſſe creditur Cleon) uſitatum: & indignatos decet, & excitat auditorem.

In pedibus ſtatus & inceſſus obſervatur. In dextrum verò ac lævum latus vacillare, alternis pedibus inſiſtendo, ridiculū eſt. Suppoſio tamen pedis, in contentionibus & incipiendis & finiendis, eſt opportuna. Inceſſus permiſſus eſt oratori; ſed rarus, & tantùm in cauſis publicis, ubi ſuggeſtum amplum & ſpatioſum eſt: ubi etiam multi ſunt judices: proindéq; in ſenatu, ubi plures; & in concione, ubi longè plurimi. Diſcurſare tamen ineptiſſimum: urbanéq; Flavius Virginius interrogavit de quodam ſuo antiſophiſta, Quot millia paſſuum declamâſſet.

ATque hæc de corporis Geſtu, Oratoribus ſummè neceſſario. Orat. Perf. ¶. 10. *Nam & infantes, Actionis dignitate, Eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt; & diſerti, deformitate Agendi, multi infantes putati ſunt.* Quin adverſùs oratores, hujus ipſius artificii faſtidioſos contemptores, argumentum hinc ſumptum eſt.

Nam

Nam cùm Tullius adversùs Callidium diceret; pro argumento refutationis poſuit, quòd veneni ſibi comparati cauſam tam ſolutè egiſſet, tam leviter, tam oſcitanter, tam ſine corporis geſtu. Brutus. ¶. 122. *Tu Marce Callidi* (inquit) *niſi fingeres, ſic ageres? præſertim cùm iſtâ eloquentiâ alienorum hominum pericula defendere acerrimè ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces & querelas ſolet? nulla perturbatio animi; nulla corporis; frons non percuſſa; non femur; pedis* (*quod minimum eſt*) *nulla ſupploſio. Itaque tantum abfuit ut inflammares noſtros animos, ſomnum iſto loco vix tenebamus.* Sic Tullius Callidium in ipſo foro, tanquam in aliquo Rhetoricæ ludo condiſcipulum, non ſatis in arte quam profiteretur attentum & conſideratum, vellicavit.

Verùm non omnes, quæ à Tullio & Fabio traduntur, agendi rationes, noſtris conveniunt temporibus: nec ſi convenirent, propterea non mutari convenit: quia vulgares factæ, & omnibus notæ, contemptum potiùs pariunt, quam admirationem; nec tam arridentur, quàm irridentur. Magiſtri itaque conſulti, quas ex omnibus maximè probant, ſuis commendent diſcipulis: qui eas, cùm fuerint adulti, aut addendo, aut minuendo, aut immutando, emendare; atque novas, rebus ipſis & ingenio ac voci ſuæ congruentes, ex abundanti Quintiliani penu Lib. 11. Cap. 3. deligere poſſunt. Interim verò curent, ut Actio ſemper ſit, non modò varia & decora; ſed etiam nec nimia nec affectata: *Ne dum Actoris captant elegantiam, perdant viri boni & gravis autoritatem.* Nam

ubicunque Ars oſtentatur, ibi Veritas abeſſe videtur.

FINIS.